Auctor

R. P. Hartzheim. S. J.

Baker IV 1180

Ex libris J. C. G. Schmitz
Pastoris ad S. Laurentium
Coloniæ. mpp. 1753.

CATALOGUS
HISTORICUS CRITICUS
CODICUM MSS.
BIBLIOTHECÆ
ECCLESIÆ METROPOLITANÆ
COLONIENSIS.



COLONIÆ AGRIPPINENSIUM
Anno MDCCLII.
Apud JOANNEM WILHELMUM HUISCH.
Cum Facultate Superiorum.

REVERENDISSIMIS,
SERENISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS
& PERILLUSTRIBUS,
GRATIOSISSIMIS & GRATIOSIS DOMINIS,
DOMINIS
DECANO cœteriſque PRÆLATIS
& CANONICIS CAPITULARIBUS
METROPOLITANÆ ELECTORALIS
ECCLESIÆ COLONIENSIS

JOSEPHUS HARTZHEIM è S. J.
FELICITATEM.



Uod Sapientiſſimo Conſilio, Codices Mſs. Bibliothecæ Veſtræ mille-



nario

nario majoris, communicare Europæ, eruditæ ſtatueritis, præclarè de Republica Literaria, ſed præclariſſimè de Catholica Eccleſia meriti eſtis *Rmi Sereniſsimi Illuſtriſsimi, Perilluſtres Domini!* Imitati nempe fuiſtis exempla maximarum & vetuſtiſſimarum Germaniæ, Belgii, Italiæ Eccleſiarum Cathedralium & Metropoliticarum, quæ Theſauros Literarios, Anteceſſorum illaudatâ formidine ſepultos, hoc Sæculo demum vulgârant, bonis omnibus, Catholicis imprimis plaudentibus ad hæc nova arma, cauſæ optimæ & ſemper victrici commodata.

§. I.

Quinam hanc Bibliothecam ante nos inſpexerint, laudarint?

Atque utinam bonus genius uno alteróve ante Sæculo hanc mentem afflâſſet? nam Anno MDCXLVI. (quo Librum de *Magnit. Coloniæ* edebat Illmus Ægidius GELENIUS) integram penè Beati HILDEBALDI Bibliothecam adhuc ſupereſſe teſtis oculatus ſcribebat *paginâ* 231, fragmentum hujus celeberrimæ ab hoc Archiepiſcopo, Caroli Magni Archicapellano, Operâ WENLONIS Laudunenſis Epiſcopi inſtructæ deſcripſerat idem Gelenius

nius *pretiosæ Hierothecæ* pag. 42. 49. ex codice pervetusto nostræ Bibliothecæ, qui nunc desideratur. Annotabatur in eo, Libros hósce Anno Dni DCCCXXXIII. ad Opus Domini HILDEBALDI descriptos fuisse ex illis, quos Româ Apostolicus Dominus LEO misit CAROLO Imperatori. Errorem in numero anni admissum à Librario animadvertit solertissimus Gelenius, & substituit Annum DCCLXXXIII, quo Hildebaldus Cathedram Agrippinensem conscendit, ex qua ad Superos abiît circa DCCCXVI. annis XVII. ante, quàm Librarius adnotaverat. Sed hæc ipsa emendatio vitium habet. Nam LEO III. PP. Cathedram Petri ante annum CHRISTI septingentesimum nonagesimum quintum non attigit: unde Anno DCCLXXXIII. Libros Carolo non misit. Superest, ut Librarii errorem sanemus, substituto anno DCCCIIII. aut proximo, quo hic Pontifex Carolum & Aquasgrani visit. Si verò ab Papa HADRIANO Antecessore hos codices dono accepit CAROLUS, admitti potest annus ab Gelenio emendatus.

Inspiciamus nunc Catalogum Hildebaldinæ Bibliothecæ ex GELENIO, cujus Libri rariores indies fiunt.

„ Evan-

„ Evangelium cum argento ſcriptum, auro & lapidibus
„ ornatum, habet *Ermbaldus* ad ſuum miniſterium.
„ Alium ſimiliter planè ſcriptum & auro & lapidibus or-
„ natum.
„ Sacramentorum Gregorii cum auro ſcriptum. Le-
„ ctionarium I.
„ Librum S. Auguſtini, in quo jacebant petulæ aureæ.
„ De Libris Samuelis.
„ Pſalterium I. Antiphonarium I. Homiliam I.
„ De Libris *Gangolfi*, Librum Comiti I.
„ Sacramentorum Volumen I.
„ Dominus Epiſcopus in ſua Capella, Evangelium I. Le-
„ ctionarium I. Parabolas Salomonis.
„ *Hilduin* Abba Lectionarium I.
„ Item *Ermbaldus* Evangelium I. Lectionarium I.
„ Dedit Epiſcopus Sorori ſuæ Librum Sacramentorum
„ cum Lectionario. Antiphonarium I.
„ Filio Sororis ſuæ Pſalterium I.
„ Habet *Engilolphus* Comes Lectionarium I.
„ Omilias Gregorii VII. habet ipſe Sacramentorum cum
„ Lectionario I. qui fuit *Emundi*.

„ *Voſo*

„ *Voso* Lectionarium unum.
„ *Baldericus* Episcopus Missale cum Lectionario. Vo-
„ lumen 1.
„ *Hildiswint* Parabolam Salomonis.
„ *Baldrih* librum Prosperi de Activa & Contemplativa.
„ *Osman.* Missale cum Lectionario & Vita Patrum.
„ *Snebrat* Lectionarium cum Evangelio.
„ *Ratlei* Librum Pompeji.
„ *Waldolff* Apologeticum Gregorii Nazianzeni.
„ *Thitmar* Expositionem Gregorii in Job primam
„ partem.
„ *Helmbald* Frater Episcopi Lectionarium 1. Antepho-
„ narium 1.
„ *Folcari* Missalem cum Lectionario 1.
„ *Rodolff* Missalem 1.
„ *Engilhelm* Regum.
„ Uxor *Werinbaldi* Lectionarium.
„ *Gundolff* Homil.
„ *Hartger* Sacramentorum.

Hæc Pars est Bibliothecæ Hildebaldinæ exeunte Sæ-

 culo

culo VIII, nono ineunte dotatæ: at hujus partis, quæ portiuncula ſuperſit, Catalogus oſtendet. Nihilominus illuſtria venerandæ antiquitatis monumenta Deus nobis ſervavit, & longè majoris momenti ac ponderis, quàm Illmus Gelenius credebat pag. 241. *de Colon. Agripp. Magnitudine.*

Saniorem de hac Bibliotheca Ideam habebat Rmus Melchior HITTORPIUS, Decanus Cunibertini Collegii, quam teſtatur in *Præfatione* eruditiſſima Libri *de Divinis Officiis* Anno 1568. Coloniæ vulgati, & SALENTINO A.C. inſcripti „Quasdam ROMANI ORDINIS „partes, ISIDORI, AMALARII, atque RHABANI „MAURI Exemplaria, quibus in his edendis præter „cætera uſi ſumus, illa TUÆ Eccleſiæ Bibliotheca, „quæ ab HILDEBALDO, ut apparet, cœpta, ab HERIBERTO & EVERGERO aliiſque Sanctiſſimis Epiſcopis (quorum, & Hildebaldi nomen adhuc maximè „multi libri præferunt) aucta nobis ſuppeditavit. Et ſi „omnes eos haberet libros, quos ſub Anno Domini „DCCCXXXIII. in ea fuiſſe Index quidam antiquus pro-

„dit,

„ dit, utilissimos multos hâc ætate Authores suppedi-
„ tare posset. „ Vidit ergo HITTORPIUS anno 1568. eundem Catalogum, quem GELENIUS anno 1646. descripsit, at Ego neque hunc, neque fragmentum Catalogi vetustissimi nostrorum Antistitum ab Clarissimo ECKARTO anno 1724. (quo anno in Collegio nostræ Societatis Coloniensi Catholicam fidem professus est) descripti, & in *Historia Franciæ Orientalis* Tom. II. pag. 917. 918. vulgati, hactenus reperire potui.

Quanto subsidio fuerit hæc Bibliotheca Vestra edendis SS. PP., Liturgiam veterem Latinam tractantibus, locuples Testis & Encomiastes est JACOBUS PAMELIUS Canonicus Brugensis, edito Coloniæ anno MDLXXI. *Liturgico Ecclesiæ Latinæ*, sed Brugis scripto, è cujus Præfatione hæc delibo:

„ Divi HIERONYMI Comitem seu Lectionarium...
„ ......Deinde ad veteres Codices aliquot Colonienses
„ per D. HITTORPIUM collectione factâ restituimus:
„ allegatis interim duntaxat singularum Lectionum ini-
„ tiis, eo quod omnibus sint obviæ. Inter quos vene-
ran-

„ randæ antiquitatis unus è Bibliotheca Metropolitana „ D. PETRI Coloniensis mutuatus fuit, quem ab „ anno DCCCXXXIII. in ea adservatum fuisse testatur, tum „ confectus Index illius Bibliothecæ, quàm non longè „ ante sub CAROLO M. HILDEBALDUM Arch. instau- „ rasse, & libris plurimis instruxisse idem Index indi- „ cium facit. Ubi si adhuc extaret eodem Catalogo re- „ censitus GELASIANUS ille de Missarum Solenniis „ Codex, unà nunc prodiret. Qui, quandoquidem in- „ terciderit ejus loco Sacramentorum D. GREGORII „ librum substituimus: quippe quem, teste Joanne Le- „ vitâ, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla „ adjiciens ex Gelasii Scripto in unum Volumen co- „ arctaverit.

„ Eum unà cum duobus adjunctis Sacramentorum „ libris ex eadem Hildebaldi Episcopi Bibliotheca *Dnus* „ *Geruinus Calenius Typographus* noster commodato „ receptum ad me misit, elegantissimis characteribus „ ante annos plus minus septingentos exaratum.

„ ..... Extant denique Coloniæ adhuc plures Mss. horum

„ horum Librorum (à se Pamelio editorum) exempla-
„ ria apud D. Hittorpium, è quibus descriptæ per ipsum
„ castigationes prorsùs cum vetustissimo illo Hildebaldi
„ Codice conveniebant, sicut & alter ille Coloniensis
„ Ms, qui mihi unà cum illo transmissus fuerat.

Supersunt etiamnum illa ab Pamelio laudata Volumina, Classe IV. Catalogi nostri recensita, quibus Sacrificii nostri Catholici non substantiam duntaxat, sed Orationes & Ritus (puta *Introitum*, *Collectas*, *Epistolas*, *Lectiones*, *Evangelia*, *Gradualia*, *Offertoria*, *Secreta*, *Præfationes*, *Canonem*, *Postcommuniones*, uti nunc vulgatâ phrasi Ecclesiasticâ loquimur) à quarto, quinto, sexto Sæculis, ad hæc nostrum decimum octavum in Ecclesia Dei fuisse adhibita, invictis Documentis demonstratur.

§. 2.

Fructus in Ecclesiam & Rempublicam Literaram ex hac editione sperandi.

Quæ porrò & quanta commoda Orbi Literato & Catholico ex aperta hac Bibliotheca obventura sint, indico

potius quàm exponam, cùm VOS ipsi pro Sapientia Vestra uberrimos fructus facilè prospiciatis. Ex prima Classe Biblicorum Codicum apparet latinæ versionis tum ejus, quæ Hieronymo & Sæculo quarto superior est, veneranda Antiquitas, tum ejus, quæ ex Hieronymiana castigatione & crisi, sublatis Librariorum mendis paulatim & in plurimis Codicibus V. & N. Testamenti invaluit, usus & authentia, Tridentinis PP. jure merito, & tredecim Sæculorum ætate per omnes Occidentis Ecclesias corroborata.

Qui verò in Ecclesia Christi ab quinto ad decimum quintum Sæculum, aut purum Dei Verbum creditum, aut prædicatum fuisse inficiantur, geminæ blasphemiæ in CHRISTUM DEUM rei sunt: cujus Ecclesiam contra, nec inferorum portas prævalituras, cujus *Verbum* mansurum in æternum, cujus Spiritu docendam Ecclesiam omnem veritatem DEUS IPSUS disertissimè prædixit.

Ex secunda Classe Patritiorum Codicum, TRADITIO Catholicæ Ecclesiæ confirmatur. Ea deest omnibus Hæreticis: adest solis Catholicis: qui ideo Catholici sunt,

quia

quia credunt id Verbum Divinum, & eo ſenſu, quod & quo ſenſu OMNES, UBIQUE, SEMPER Chriſtiani à primo Sæculo Æræ Chriſtianæ ad hoc XVIII, crediderunt, intellexerunt, prædicârunt.

Quot Codices habet hæc ſecunda Claſſis, tot TESTES habemus traditi de manu in manum, de Apoſtolis in Diſcipulos Apoſtolorum, de Patribus in Filios Verbi Dei, ejusdémque genuinæ ſignificationis & ſensûs à Spiritu Sancto intenti.

Tertia Claſſis *Juris Eccleſiaſtici* cum Eccleſia, uti conſpicuâ humanâ Societate nati & adulti, & per Concilia (veluti Comitia populi Dei) ſanciti, promulgati, & quidem primo millenario florentiſſimi, Documenta memoranda habet, cujuſmodi pauca in Bibliothecis vetuſtiſſimis Europæ extant.

Nempe habetis VIRI REVERENDISSIMI, SERENISSIMI, ILLUSTRISSIMI & PERILLUSTRES! Codices Sæculo nono & Iſidoro Mercatore anteriores, quod Notæ adjectæ ex Criticorum Principibus *Baronio, Pagiis, Antonio Auguſtino, De Marca, Papebrochio, Scheleſtratio* demonſtrabunt.

ſtrabunt. Ex iiſdem Codicibus denuò ſtatuminatur Doctrina Catholica, identidem inſtaurata, publicata, & contra Hæreticos fixa Canonibus Conciliorum & PP. Tria enim ſolent in Cœtibus Eccleſiaſticorum Antiſtitum agitari: *Doctrina*, *Hierarchia*, *Diſciplina*. Errores contra Doctrinam iterum iterúmque repullulantes, & à Satana in Agrum Dominicum jacti, identidem evellendi ſunt. Ordo Eccleſiaſticus inter perſonas & pax munienda, tribuendo cuique ſuo jure, Paſtoribus, Ovïbus, Clero, Populo, Eccleſiis, & Eccleſiarum bonis. Demum morum Cleri & populi, & rituum ac cærimoniarum reformatio, dum homines erunt, neceſſaria eſt. De his igitur Canones ſaluberrimos, antiquiſſimis ab Orientis & Occidentis Epiſcopis latos, qui legere volet, fontes hos puros ac ditiſſimos conſulat.

De Jure Sacræ Metropoleos noſtræ, ejúſque Canonibus plura ſperabam ex hoc veluti nativo & primigenio fundo eruenda Conciliorum exempla. Tria ſuperſunt, ſed quæ non aſcendunt ultra Sæculum XIII. quare ea Lacuna

cuna anteriorum Sæculorum, aliunde nobis ſupplenda erit.

Claſsis quarta validiſſimas probationes ſufficit pro Sacrificii Divini Novæ Legis, Sacramentorum & Rituum Eccleſiæ Catholicæ in Officio Divino, omnigenarúmque cærimoniarum perpetuo & vetuſtiſſimo uſu.

Hoc ſubſidium & ineluctabile Proteſtantibus Argumentum jam odorati erant Viri Clariſſimi PAMELIUS, CALENIUS, HITTORPIUS, qui Sæculo XVI. ex hac Bibliotheca Liturgiam Catholicam, Sacramenta: Baptismi, Ordinis, Pœnitentiæ, Confirmationis, Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, Ritúsque in iis inde à quarto Sæculo adhiberi ſolitos demonſtrârunt, vulgatis HIERONYMI, GREGORII, ALCUINI, RHABANI, WALAFRIDI, RUPERTI &c. *Sacramentariis, Lectionariis, Antiphonariis*, tum poſteriorum Autorum Sæculi IX. X. XI. XII. libris ſcriptis de *Officiis & Sacrificio Eccleſiæ*, quanto Catholicorum ſolatio, quantâ ſuffuſione novaturientium adverſariorum, vix dixero. Nos criſin ſeveram impendemus Codicibus

optimis, Notationibus ſubjectis: ut, quanta ſit ſingulorum fides & autoritas, Lectori conſtet.

Claßis quinta Hiſtoricos, paucos ſanè nec admodum memorabiles numerat, quò ſpectant Chronologi, & qui Computus Eccleſiaſticos, & Cyclos Dionyſianos inveſtigando Paſchati ſcripſerunt: demum & Calendaria valdè antiqua, unde & antiquitas cultûs Sanctis Dei Servis in Eccleſia Dei impenſi, etiam ante ſolemnes formulas Pontificiæ Canonizationis eruitur & probatur.

Claſſis ſexta Aſcetica & moratos Sermones ac Homilias variorum oſtendit; pleráſque anonymas ſeu acephalas, id eſt, quarum Autor ignoratur vel dubius eſt.

Duæ reliquæ Claſſes, utilia quidem ſed minoris momenti Volumina, at multa bene annoſa complectuntur.

§. 3.
Dotatores Bibliothecæ.

HILDEBALDUS, EVERGERUS, HEREBERTUS, ANNO Archiep. Colon. dein Abbates, Priores, id eſt, Prælati & Canonici hujus Eccleſiæ, hanc Bibliothecam dotârunt, tum in Cleri

Me-

Metropolitici Gratiam, tum etiam pro Domicellis ſeu Junioribus Canonicis, qui in Schola Cathedralis Eccleſiæ ſub *Scholaſtici* virga & cura educabantur, ut pueri profanis primùm, poſt Adoleſcentes Sacrâ Doctrinâ formarentur, digna tantæ Eccleſiæ Membra. Extant adhuc in quibusdam Libris veſtigia mutuati Codicis huic illíve Canonico, Domicello, Scholarívе Eccleſiæ Majoris.

§. 4.

Finis Bibliothecarum apud Cathedrales Eccleſias extantium.

Ob eundem finem, ſuæ apud ſingulas Collegiatas Colonienſes, aliásque Germaniæ Collegiatas, præſertim Cathedrales Eccleſias erant *Scholæ* & *Bibliothecæ*, uti & *Scholaſtici* ſeu Scholarchæ, quorum zelo & vigilantiâ Clerici juniores *Scholares* erudiebantur, (ante Univerſitas Studiorum quàm Coloniæ à Pontifice & Auguſto Cæſare conderetur Anno 1388.)

Teſtis *Cæſarius Heiſterbacenſis* in Andreatici Collegii Scholâ educatus; *S. Hermannus Joſeph* in Capitolinæ aut Marianæ ad Gradus Collegiatæ Baſilicæ Scholâ for-

formatus: BRUNO I. noster Archiep. BALDERICUM Episcopum Trajectensem Præceptorem habuit, subin ISRAËLEM Scotum Episcopum. S. HEREBERTI Archi-Episcopi nostri Institores fuêre GERBERTUS & BRUNO, qui postea Romani Pontifices extitêre Sylvester II. & Gregorius V. nuncupati. S. ANNO in Schola Cathedralis Ecclesiæ Bambergensis Discipulus primùm, postea Doctor fuit, ad nostram Metropoliticam Cathedram evectus.

S. ENGELBERTUS I. puerulus studuit in Scholis, & nonnisì de Scholis *emancipatus* in Præpositum Ecclesiæ Majoris Coloniensis electus fuit, teste *Cæsario* coævo Scriptore *in vita*. c. II. quæ emancipationis cæremonia etiamnum anno 1633. teste *Ægidio Gelenio* perstans, in eo sita erat, ut Domicelli Illustres, qui post indultam Præbendæ Canonicalis Possessionem eodem tempore & actu præsentati fuerant Scholis, & Scholastico, post exploratam eorundem capacitatem ad Sacra Ministeria, admittebantur ad Residentiam: quod erat *emancipari*. Capacitas verò complectebatur & scientiam clericali statui necessariam, & staturam corporis Ministerio Altaris aptam; alterutro deficiente suspendebatur emanci-

patio

patio: utroque concurrente ad Residentiam Domicellaris admittebatur.

Scholasticus Majoris Ecclesiæ inter Prælatos semper numeratus fuit, & antonomastico titulo MAGISTRI honorabatur, quod ex Vita & Libris OLIVERII Scholastici Ecclesiæ Coloniensis, dein Paderbornensis Episcopi & S.R.E. Cardinalis constat: videatur *Ægid. Gelen.* in Vita S. Engelberti p. 47. & *Bibliotheca Coloniensis*, necnon ex Vitâ Magistri Rudolphi Scholastici Coloniensis à CÆSARIO HEISTERBACENSI diversis Capitulis celebratâ. L. 1. c. 38. Lib. 4. cap. 26. & Lib. 9. cap. 20. hic sub finem Sæculi XII. iste verò sub initium Sæculi XIII. floruit.

Hæc pauca de multis, unde origo & causa Bibliothecæ Cathedralibus Ecclesiis junctæ appareat, demum ejusdem usus pro Clero instituendo, eo tempore, quo librorum raritas magna & pretium enorme erat. Nempe ante inventam à Germanis Typographiam, sive ante Annum Christi MCCCCLIX.

§. 5.

De variis Scholis apud Ecclesias Cathedrales.

Erant etiam apud Ecclesias præsertim Cathedrales, præter Scholas Grammaticæ Latinæ, Arithmeticæ, Philosophiæ *Schola Cantorum*, *Schola Lectorum*, qui latinæ linguæ notitiam, intelligendæ Scripturæ Divinæ (hæc nonnisì latina in his partibus legebatur) & SS. Patrum Libris explicandis necessariam præbebant.

Post verò quàm Grammaticam latinam, scribendi, psallendi, & computandi artem didicissent, ad Philosophicas & Theologicas Disciplinas Juniores Clerici manuducebantur: quæ omnia in *Capitularibus Regum Francorum* à Cl. Baluzio editis legere est. Tomo II. Capitular. pagg. 1373. 1134. 743. 712.

His artibus discendis & docendis serviebant Libri septimâ & octavâ Classe notati.

Oro Deum O. M. Fontem omnis Sapientiæ & Veritatis, ut hujus Bibliothecæ evulgatio ad Nominis sui Gloriam, & Catholicæ Doctrinæ, Hierarchiæ, ac Disciplinæ incrementum conducat.

FINIS PRÆFATIONIS.

CLASSIS PRIMA.



CLASSIS PRIMA.
SS. BIBLIA.
NOTÆ

NOTA I. *De Menſura, quâ Codicum altitudinem & latitudinem dimenſi fuimus.*



Enſura, quâ in demetiendis Codicibus uſi ſumus, eſt Pes *Colonienſis* in duodecim Uncias diviſus: cujusmodi Unciæ duodenæ æquiparantur undecim Unciis pedis Rhinlandici & Romani antiqui. Geometræ noſtri hanc proportionem uti accuratiorem laudant, ſi pes Rhinlandicus dividatur in partes mille, pes Colonienſis harum partium continebit 916, & duas tertias; pes Pariſinus Regius continebit 1050. ejuſdem partes.

Pes *Druſianus* apud Tungros in Germania Inferiore Sæculo primo uſitatus excedebat Romanum pedem ſesqui Unciâ, conſtabat enim XIII. Unciis Romanis & dimidiâ. *Cl. GOTHOFREDUS, in Tomo II. Codicis Theodoſiani Lib. VII. Titulo XIII. Lege III. de Statura Tironum. Rmus GELENIUS pretioſæ Hierothecæ pag. 12mâ.*

CODEX I. altus 18. latus 15. Uncias. Continet Biblia integra Latina vulgata uſque ad verſum Libri Apocalypſeos : *Qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc.* cum Præfationibus S. Hieronymi ante ſingulos Libros. Codex eſt Sæculi noni charactere minuto ſcriptus, ſed literæ Titulorum & Præfationum initia uncialia, & ſeſquiuncialia ſunt, & auro illita rubris lineis alternis ; aurum tamen in multis literis evaneſcit. Prima librorum capita vel capitum initia quadratis literis exarantur, diſtinctio librorum fit aut per Capitula in initio librorum recenſita, aut per verſus numeratos in fine libri. In prima pagina hæc leguntur :

Liber S. Petri à Pio Hirimanno datus.

NOTA II. *De Ordine & numero Librorum Biblicorum.*

Ordo Librorum Sacrorum in hoc Codice paululum diverſus eſt ab eo, quem Tridentinum recitat. Libri Tobiæ & Judith collocantur poſt Propheticos omnes. Salomonis Libri hoc ordine : Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica [in quibus vox SPONSI, SYNAGOGÆ, ECCLESIÆ, APOSTOLI alternis intervallis notantur] Sapientia, Eccleſiaſticus. Poſt Pſalterium ſequitur Pſalmus CLI. Apocryphus, *quem Hebræus ignorat*, ut Libri Scriptor rectè adnotavit.

Epiſtolæ ad Coloſſenſes ſubjicitur Epiſtola ad Laodicenſes apocrypha. Ante Evangelia præmittuntur concordantiæ quater-

ternis, ternis, binis, intercolumniis comprehensæ & numeris Sectionum distinctæ. Quantum horum Bibliorum partitio à præsenti usitata differat, hinc collige. Genesis dividitur in LXXXII; Exodus in XXXIIII, Leviticus in LXXXVIIII capitula. Ecclesiastes in XXXI. capitula, in versus CCLXXX. &c.

NOTA III. *Cur versio Latina vulgata dicatur?*

Postquam Latina antiquissima Bibliorum V.T. versio, ex Græca Septuagintavirali interpretatione facta, librariorum vitio deturpata esset; S. Hieronymus jussu Damasi PP. inter annos Christi CCCLXXXII. & CCCCV. novam versionem ex Hebræo fonte & LXX. instituit: Hanc versionem Hieronymianam, Ecclesia paulatim adoptavit, ex eáque nunc habemus libros V.T. præter *Psalterium*, *Tobiam*, *Judith*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *Baruch*, cum *Epistolâ Jeremiæ*, & appendiculas *Estheris*, quorum librorum translationes latinas ex antiquissimo interprete retinuit Occidentalis Ecclesia... Vide *BONFRERII Præloquia in totam Scripturam C. XV. MILLIUM in Prolegomenis N.T. Græci n. 852. & seqq. NOBILIUM. MORINUM.* Novi autem Testamenti versio vulgata nostra latina, quantum distet ab vetere Italica, fas nunc est orbi literario intueri, quando Cl. BLANCHINUS Veronensis Congreg. Orat. Presbyter, Romæ, ante biennium edidit *Evangeliarium* quadruplex latinæ versionis antiquæ, seu veteris Italicæ: quam eruditus Orbis, dudum frustra flagitaverat.

NOTA IV.

HERIMANNUS cognomento PIUS sedit in Cathedra Colon. ab anno DCCCXC. ad diem III. Aprilis anni DCCCCXXV. quo obiit. Est igitur Codex Sæculi noni, si non antiquior, quod & capitales Unciales quadratæ ac deauratæ literæ indicant.

CODEX 2. altus 15. latus 10. Uncias. Continet S. Biblia integra Sæculi XIII. Donum Mauritii Comitis de SPIEGELBERG Canonici Metropolitici, & Præpositi Embricensis.

NOTA V. *De Gente Spiegelbergica.*

Secundus hic Codex Illustris Viri Comitis de Spiegelberg donum est. Comitatus Spiegelbergensis Feudum est Ducum Brunsvicensium. Philippus, ultimus hujus nominis Comes & Pyrmontanus, cæsus fuit anno 1557. in prælio ad Quintini fanum, cujus Soror Ursula nupsit Hermanno Simoni Comiti Lippiensi, Sternbergæ, Svvalenburgæ, & Stoppelbergii Domino. Ex hoc Thalamo Liberis duobus natis, Simone & Philippo improlibus defunctis, Spiegelberga, & Pyrmontum ad Consobrinos Comites Gleichenses ex gratia Ducum Brunsvicensium transierunt. *IMHOFF Notitia Procerum Imperii L. IX. C. III. n. 6. HAMELMANNUS de Familiis emortuis Lib. III.*

CODEX 3. alt. 12½. lat. 7. Libri tredecim Expositionum in Genesin, & Exodum, mutilus in principio. Post

Post primum librum lego: *Explicit Liber primus de Initio Mundi, & omnium rerum. Incipit Liber secundus de Arca, quæ à Noe ante Diluvium constructa est* ------ Liber decimus tertius, de his, quæ offeruntur ad Tabernaculum. Liber Sæculi 13tii.

NOTA VI. *De Glossatoribus Latinis Bibliorum.*

Glossatores Bibliorum, varii medio Ævo Christiano extitere, quorum paucissimi linguæ hebrææ, & græcæ notitiam habuisse videntur. NICOLAUS DE LYRA, qui unus de multis *Glossæ ordinariæ* latinæ Autor dicitur, gente Normannus, ortu Hebræus, in Divi Francisci familiam cooptatus, utique maternæ linguæ non ignarus fuit. Idem jam Christianus & in Parisina Schola Catholica eruditus scripsit initio Sæculi XIV. perpetuas *Postillas* & *Commentarios*, in universa Biblia, quibus sensus literalis & moralis continetur. Obiît 23. Octob. 1340.

Hæ Postillæ, quas nunc *Glossam ordinariam* vocamus, Coloniæ primùm editæ fuêre anno 1478. Typo Joannis Koelhoff. HUGO à SANCTO CHARO, ex Familia Prædicatorum Cardinalis primus, alter Autor est *Glossæ ordinariæ.* Obiît apud Urbem veterem 1262. 14. Kal. April. scripsit nempe Postillas, seu breves Glossas omnium Librorum V. & N. Testamenti juxta quadruplicem sensum, recusus Coloniæ 1621. folio. VIII. Tomis apud Gymnicum. *LABBE de Script. Eccles. QUETIF & ECHARD. Tomo I. Bibliotheca Prædicatorum ad annum Christi 1262.*

Glossæ Interlinearis Autor ANSELMUS LAUDUNENSIS, qui ad initium Sæculi duodecimi pervenit, dicitur.

Eundem quidam volunt Autorem Glossæ *marginalis*, alii eum, de quo jam dicam,

WALAFRIDUS STRABO ex Monacho Professo S. Galli, Abbas post Augiensis divitis Cœnobii, ad annum 849. vixit.

Hic Glossam, quam *Ordinariam* alii, alii *Marginalem* vocitant, magno labore ex RABANI Moguntini amplissimis Commentariis congessit: quam ampliatam vel PP. Sententiis auctam, Anselmus Laudunensis ediderit.

Diversas de his Glossatoribus Sententias refert. *Labbé de Script. Eccles.* post vitas horum Scriptorum

CODEX 4. alt. 11½ lat. 8½ Liber Exodi glossatus cum Glossa interlineari & marginali variorum Patrum ut Rabani, Gregorii, Isidori, Augustini. Liber Sæculi 13tii vel 14ti.

CODEX 5. alt. 13½ lat. 11. Psalterium cum Glossa ordinaria Sæculi IX. incipit = *Beatus vir ille dicitur, cui omnia desiderata succedunt* = Finis = *Quapropter Universo Operi brevem perfectámque Sententiam dedit, ut Dominum Salvatorem spiritualiter debeant cuncta laudare*. In initio litera B. deaurata. Opus Sæculi IX.

CODEX 6. alt. 15. lat. 9. Uncias. Continet Parabolas Salomonis & Ecclesiasticum cum Commentario. Sæculi XV. CO-

CODEX 7. alt. 11. lat. 8. Uncias. Psalterium cum Glossa interlineari & marginali. Item Cantica Veteris Testamenti similiter glossata. Liber Sæculi 14ti.

CODEX 8. alt. 17. lat. 13. PSALTERIUM GALLICANUM, ROMANUM, HEBRAICUM & GRÆCUM, ut à S. HIERONYMO editum. Sæculi VII. Codex. In fine Psalmus CLI. *Pusillus eram:* tribus Columnis. Et Cantica Veteris Testamenti Tetrapla; Cantica N. T. tribus Columnis, Gallicana, Romana, Græca, rarissimus & pretiosissimus Codex.

NOTA VII. *Singularia hujus Psalterii.*

Codex octavus similis est illi, quem ex Sandero laudat *PHILIPPUS de LONG. Bibliothecæ Sacræ* parte I. c. III. inter Biblia Latina Ms. pag. 569. Sed noster anterior est Belgico, continet primò Epistolam S. HIERONYMI ad SUNIAM & FRETELLAM: tum Præfationem ejusdem Doctoris. Deinde Elegia minio scripta, docet nos hoc Psalterium Constantiæ scriptum fuisse ejusdémque Episcopo & Abbati dicatum à Librario.

Quos sibi Pontifices legit CONSTANTIA dives
PRÆSUL & ABBA simul meritis electus opimis
Scriptores cautâ varios indagine lustrat.
Hoc & Psalterium doctè collegit in unum &c.

Cui subjiciuntur versus DAMASI PP. de Psalterio & HIERONYMI ad eundem.

Sequi-

Sequitur Tetraplum id eſt quatuor columnis ſcriptum Pſalterium. Prima columna exhibet Gallicanum (quale in Gallicanis Eccleſiis canebatur) prius ſub Carolo Magno, quàm Romana in Eccleſia cantari ſolitum reciperetur, utrumque nihil, aut parum *à Veteri Italicâ verſione* differt. Secunda columna Romanum Pſalterium Latinum, verſum ex eo, quod ex Hebræo in Græcum transtulerant LXX. Tertia columna id, quod ex Hebræo Textu in Latinum transtulit Hieronymus: quarto loco Pſalterium Græcum *latinis* literis exaratum. Hoc Græcum licet, latinis characteribus in aliis Mss. videtur, teſte *LUCA BRUGENSI in Catal. Ms. quibus uſus eſt in Annotat. Bibliis pag. 84.* uti Origenes hebraicas voces græco charactere in Hexaplis ſcripſit.

Pſalterium Latino-Græcum è Bibliotheca Capituli Veronenſis, quam Illuſtriſſimus SCIPIO MAFFEIUS nuper recenſuit, refert græcas voces literis latinis majoribus & diligenter depictis exaratas pag. 64. *Opuſculorum Marchionis Maffei edit. Trident.* S. Hieronymus bis vertit Pſalterium; bis emendavit. *Primùm* Romæ degens circa 382. emendavit curſim illam [quæ ex LXX. Interpp. confecta in uſu erat Romanis & *communis VULGATA Lucianæa* dicebatur] ſublatis Librariorum nævis juxta exemplar purum Græcum Septuagintavirorum, quale extabat in Origenis Hexaplis additis obelis & aſteriſcis Origenianis. *Secundò* Pſalterium latinè vertit conſulto ſolo hebræo fonte, rogatu SOPHRONII Presbyteri. *Tertiò* in Paulæ & Euſtochii gratiam circa A. C. 389. verſionem LXX. marte ſuo latinam fecit. *Quar-*

Quartus labor legitur in Epiſtola ad SUNIAM & FRETELAM in concilianda cum hebraico fonte interpretatione Septuagintavirali. Neutram verſionem Eccleſia Occidentalis adoptavit, ſed antiquam ITALICAM verſionem retinuit. Eruditiſſimus MABILLON *Diſquiſitione Gallicana de Curſu Gallicano.* pag. 395. 396. ex Bernonis [Augienſis Abbatis, qui anno MXLV. obiît] Sententia refert „ ab Hieronymo Pſalterium è Græco verſum „ traditum fuiſſe omnibus & quibusdam Germaniæ Eccleſiis, & „ hinc Pſalterium Gallicanum appellatum.

Eadem paginâ refert WALAFRIDI STRABONIS *de Rebus Eccleſiaſticis* cap. 25. [qui DCCCLIX. obiît] contrariam opinionem „ ab Gregorio Turonenſi Pſalterium, quod Hieronymus „ ex LXX. tranſtulerat, in Galliarum Eccleſias inductum fuiſſe. „ Neutra Sententia Mabillonio placet, qui ſub Bonifacio primùm Colonienſi, poſt Moguntino Archiepiſcopo Hieronymianam verſionem Germanicis & Gallicanis Eccleſiis traditam auguratur. Hoc certum ex S. Auguſtino Epiſt. 82. ad Hieronym. & Ruffino Libro II. *Invectivarum.* Hieronymi emendatum Pſalterium, uti & reliquos libros ſerius in Eccleſias introductum fuiſſe, præſertim ob Populi & Cleri uſum quotidianum veteris Pſalterii, quare rectiùs ſentit Cl. Mabillon ſub Pippino Rege, cui Paulus PP. *Antiphonale & Reſponſale* ex urbe direxit, aut me judice, ſub *Carolo Magno* Hieronymianam V. & N. T. verſionem in Germanicas & Gallicanas Eccleſias veniſſe, excepto tamen Pſalterio.

JACOBUS FABER, Stapulenſis ex Picardiâ, Theologiæ

 Doctor

Doctor in Universitate Parisina [qui anno 1537. obiît diem suum] quintuplex Psalterium edidit, terrecusum inter annos 1508 - 1515. hoc ordine erant translationes impressæ. Audi Præfantem.

„ Prima Columna Psalterium Latinum *Gallicum*, quòd eo „ Ecclesia Gallica, id est, cisalpina uteretur; & illud esse arbi- „ tror, quod ad preces Paulæ & Eustochii secundò correxit Hie- „ ronymus, hoc ductus argumento, quod in vetustis Codicibus „ illud cum obelis & asteriscis reperimus annotatum, quemad- „ modum scribit idem Hieronymus se annotâsse.

„ ROMANUM, quod Romæ emendatum ab Hieronymo, „ ceu ex ejus Prologo dilucet, in Ecclesia caneretur Romanâ, „ id est, Galliâ transalpinâ.

HEBRAICUM, quod nullâ mediâ intercedente linguâ, ex Hebræo ad Sophronii preces Latinâ donavit Colonia.

VETUS Psalterium, quia eo vel maximè ante editiones ab Hieronymo emendatas uterentur Ecclesiæ.

CONCILIATUM Psalterium, quod pauca addat, aut mutet ad Gallicum, quò magìs veritati & Hebræo concordet Psalterio, & quandoque, ut aptior & commodatior habeatur sermo. Huic quintuplici versioni latinæ subjicit varias notas, & continuam expositionem omnium Psalmorum.

Confer infra nostram Notam XX. quæ in quibusdam ab Fabri opinione recedit.

CODEX 9. altus 11. latus 7. Uncias. Commentarius à Psalmo centesimo nono ad finem. Initium = *Vocem audis*

audis continet de Christo loquentis, finis = *His mereamur adjungi concinentibus; ipsi Gloria & Imperium cum æterno Patre & Spiritu Sancto, & in cuncta sæcula sæculorum Amen.* Videtur esse Sæculi 12mi.

CODEX 10. alt. 13'. lat. 9. Uncias. Daniel & Ezechiel cum Glossa ordinaria, Liber Sæculi XIV.

CODEX 11. alt. 12. lat. 9. Uncias. Commentarius in Esdram & Nehemiam. In fronte libri legitur = Ex legato *Joannis de Mach Ss. Theologiæ Professoris.* In interiori fronte legitur = *Liber Andreæ de Werdena Canonici Ecclesiæ S. Cuniberti.* Liber Sæculi 11. vel 12mi.

CODEX 12. alt. 18. lat. 12. Uncias. Codex Membranaceus elegantissimus in folio, variâ Picturâ & Scriptione. Sæculi VIII. Continet quatuor Evangelia in unam concordantiam redacta, charactere nitidissimo, exquisitæ antiquitatis & elegantiæ liber.

NOTA VIII. *De Concordantiis Bibliorum.*

Codex XII. Concordiam, Harmoniam, Diatessaron Evangeliorum, ut Græci loquuntur, habet. Primam sed breviculam TATIANUS anno CLXXX. defunctus, pleniorem AMMONIUS Alexandrinus Philosophus adornavit, quam græcè deperditam, latinè edidit Moguntiæ, MEMLERIUS Anno MDXXIV. Fun-

dus Concordiæ erat Evangelium Matthæi (teste Eusebio) cui cæterorum Evangelistarum parallela loca, quæ idem argumentum habebant, inseruit: Eidem Ammonio attribuit Hieronymus *in Catal.* & *in Præfat. ad Damasum* Sectiones, seu Partitiones Evangeliorum in varia *Capitula* seu *Titulos*, seu *Versus*, seu *Segmenta*, cujusmodi recensebant in Matthæo, CCCLV. in Marco, CCXXXVI. in Luca, CCCXLII. in Joanne, CCXXXII. *EUSEBIUS, VICTOR CAPUANUS, ZACHARIAS CHRYSOPOLITANUS* Hieronymo suffragantur, & hos Numeros *Ammoniacos* vocant ab Autore suo.

Hodiedum non extant nisi in Ms. græcis & latinis, *MILLIUS in Prolegom. N. T. Græci. Num. 658. & seqq.*

Philippus LABBE in Dissert. de Scriptor. Eccles. detrahit Ammonio [quem Diatessaron scripsisse concedit] laudem Canonum Evangelicorum inventorum: quam EUSEBIO CÆSAREENSI tribuit ex autoritate CASSIODORI: sed rationes Labbei id mihi non persuadent.

Vid. *LABBEUM. Verbo* Ammonius - & *verbo* Eusebius Cæsariens.

CODEX 13. alt. 16. lat. 11. Unc. Quatuor Evangelia cum Præfatione S. Hieronymi. Sæculi VIII.

CODEX 14. alt. 13½ lat. 9. Unc. Continet quatuor Evangelia cum Præfationibus S. Hieronymi ad Damasum: præmittuntur multæ picturæ, 1mo S. Hieronymi, deinde

deinde quatuor Evangeliſtarum ante Evangelia Icones, quorum omnium initia literis uncialibus auro & argento integerrimè conſervatis, item limbis auro-argenteis incluſæ. Speciatim præmittuntur CANONES CONCORDANTIARUM quatuor Evangeliorum denis intercolumniis aureo-argenteis inter ſe comparatorum. Initium Evangelii Matthæi & penè totum Caput 1mum literis penè quadratis totis aureis ſcriptum eſt. Præmittuntur ſingulis Evangeliis indices Capitulorum eo modo, quo à S. Hieronymo diſtincta fuerunt. Nempe Matthæi Evangelium in Capitula XXVIII, Sectiones CCCLIII. Marci in Capit. XIII. Sectiones CCXXXIII. Lucæ in Capit. XX. Section. CCCXLII. Joannis in Cap. XIIII. Sect. CCXXXII; ex his Sectionibus, quæ ferè majores ſunt noſtris Verſibus, inter ſe collatis facti ſunt Concordantiarum Canones. *Liber Sæculi VIII.*

NOTA VIII. *De ſimilibus Codicibus Evangeliorum cum Canonibus Concordantiarum.*

Codex 14. hujus claſſis & Codex 56. ſecundæ claſſis habent quatuor Evangelia ex Hieronymi verſione diſtincta in Capita & Sectiones, ſeu minora ſegmenta ſeu verſiculos, prolixiores tamen iis verſibus, in quos capita noſtræ vulgatæ latinæ diſtributa leguntur. Similes his noſtris duobus in Collegiata B. M. V. ad Gradus duo Codices Membranacei extant ſingularis pretii & ele-

gantiæ libri. Primus altus XIII. latus 10. Uncias Colonienſes, in quorum primo omnia continentur, quæ in noſtro Metropolitico, & picturæ plures: picta Imago Salvatoris inter Symbola quatuor Evangeliſtarum, & quatuor majores Prophetas. Dein ante ſingula Evangelia Evangeliſtæ Icon, præmiſſo carmine in membrana purpurea aureis literis exarata. Ante Matthæi Iconem hæc legis =

Inter Apoſtolicos Domini numeratus amicos
Hic eſt, qui primus Sanctóque Chariſmate plenus,
Clara ſalutiferi ſcripſit Miracula Chriſti,
Ipſius & Sacris junxit pia Dogmata factis:
Dignus Evangeliſta Dei, cognomine Levi
Matthæus oſtendens verum hunc hominémque Deúmque.

Similia Hexametra Iconibus aliorum Evangeliſtarum præmittuntur in membrana purpurea limbis deauratis. Præcedunt Evangelia decem intercolumnia; quæ ad concordiam quaternorum, ternorum, binorúmve Evangeliſtarum oſtendunt, comparatis Sectionibus vel Verſiculis, ſimilibus iis, qui in utroque Metropolitico Codice notantur.

Capitum etiam, in quæ Evangelia diſtribuuntur, numerus ſingularis eſt.

In fine Codicis extat Capitulare Evangeliorum in Dominicas, Ferias, & Feſta partitorum, quale in noſtro Codice 56to. 14to. de quibus in claſſe quarta agendum.

Alter ejuſdem Eccleſiæ Graduanæ altus 16½ Uncias, latus octo, Imaginibus variis Chriſti & Evangeliſtarum ornatus, adjecto car-

carmine, Evangelia duo continet Matthæi & Marci. Sæculi X. vel XI. videtur. Præcedunt & hic concordantiæ coloratis columnis, sed non deauratis distinctæ.

Supersunt in eadem Ecclesia adhuc duo Evangeliorum codices, unus quatuor, alter trium Evangelistarum membranacei, minoris formæ, Sæculi IX. aut X, reliquiæ exiguæ sed pretiosissimæ Bibliothecæ Ms. in hac Ecclesia olim visæ, & ab Hagiographis Antverpiensibus non semel laudatæ.

CODEX 15. alt. 13½ lat. 10. Unc. Continet Commentarium in omnes Epistolas & Evangelia per annum inchoando à Vigilia Nativitatis Domini. Incipit Præfatio, *Quæritur, quare post Evangelia voluit Apostolus has Epistolas ad singulas Ecclesias destinare* = Porrigitur usque ad Epistolam & Evangelium Dominicæ Lætare, dein subjunguntur varia. Liber Sæculi XIV.

NOTA IX. *Quo Sæculo distributio Bibliorum facta in Lectiones Sacrificio & Officio per annum respondentes.*

Codex XV. complectitur Epistolas & Evangelia jam per annum Ecclesiasticum, qui ab die Natali Domini inchoatur, distributa. A quo Sæculo seu Bibliorum universorum legendorum, seu Evangeliorum, Epistolarum, & Prophetarum legendorum, canendorúmve partitio, divisio cœperit, haud satis constat. Si *Lectionarius* vel *Comes* S. HIERONYMI [quem Tillemon-

lemontius & alii critici ei abjudicant] legitimus eſt quarti Sæculi partus: igitur exeunte Sæculo IV. jam in Eccleſia Latina partitio erat Librorum Biblicorum, & ſpeciatim Evangeliorum, & Epiſtolarum per anni Dominicas, Ferias, & Feſta præcipua diſtributarum: verùm ſecretarum & ſtatarum è Scriptura Sacra lectionum mentio, apud Græcos non occurrit, nisì paulò ante CCCXCVII, cùm S. CHRYSOSTOMUS adhuc Presbyter Homilias ſcriberet *in Joannem*. „ Fuiſſe enim proprias quasdam „ Lectiones ſingulis diebus feſtis aſſignatas conſtat ex Hom. 58. „ ubi ait, quempiam, modò attentè, quæ in Templo legun- „ tur, attenderit, intra annum unum, magnum in Scriptura- „ rum cognitione progreſſum facturum eſſe. Fuiſſe autem Le- „ ctiones illas haud quidem Eccleſiæ Antiochenæ peculiares ac „ determinatas ope *Synaxarii* ſeu Indiculi cujusdam, quem con- „ fecerit Chryſoſtomus; ſed easdem ipſas, quæ hodiéque ex- „ tant in Codd. Lectionariis Græcorum, abundè ſuadet *Typi-* „ *cum* S. Sabæ, haud longè poſt ſcriptum, aliquâ Sæculi quarti „ parte. *MILLIUS in Prolegom. num. 1052. & ſeqq.*

CODEX 16. alt. 13. lat. 10. Unc. Incipit brevis Explanatio Evangelii SECUNDUM MATTHÆUM. Incipit Liber primus. Liber Generationis = *Mos etenim eſt Scripturarum* = Finis = *Quam mercedem Sancti cooperantur in vinea percepturi ſunt.* Eſt *Bedæ.* Bis legitur in fronte: Liber Athilini. Sæculi 11. vel 12mi.

CODEX 17. alt. 12. lat. 9. Commentarius in Evangelium

gelium JOANNIS uſque eo = *Hoc primum initium fecit ſignorum Jeſus.* Præmittitur Titulus literis uncialibus more Sæculi 8vi ſcriptus. = Regulam Evangeliorum quatuor ... = Matthæus regulam juſtitiæ tenens incipit ab Abraham ... Duo ſequentia folia literis penè quadrangulis ſcripta. Cætera videntur Sæculi X. vel XII. eſſe.

CODEX 18. alt. 12½ lat. 9. Unc. Commentarius in Evangelium MATTHÆI mutilus in initio & in fine. Incipit = à bimatu & infrà = finis = Ille non ſtetit in veritate. Liber Sæculi 13tii.

CODEX 19. alt. 9½ lat. 6½ Unc. Liber continet commentationem in MATTHÆUM, incipiendo ab his verbis = *Et erat Joannes veſtitus pilis Cameli* = uſque ad ea verba = *Aſſumit Jeſus Petrum & Jacobum & Joannem & ducit illos in montem excelſum.* Liber Sæculi 13tii.

CODEX 20. alt. 12. lat. 8½ Unc. Expoſitio Evangelii ſecundùm MARCUM. Incipit: *Opitulante ipsâ Evangelicâ Gratiâ ſcripturi.* Finis = *Per formam ſervi, ut liberi contemplemur formam Domini.* Sæculi 12. vel 13.

CODEX 21. alt. 10. lat. 7. Unc. Commentarius interlinearis & marginalis in MARCUM. Sæculi 15ti.

CODEX 22. alt. 10. lat. 7. Unc. Gloſſa interlinearis & ordinaria in Evangelium LUCÆ. Liber Sæculi 15. vel 16ti.

CODEX 23. alt. 11. lat. 8. Evangelium S. JOANNIS cum Gloſſa interlineari & marginali. Liber Sæculi 14ti.

CODEX 25. alt. 13½ lat. 9. Uncias. Continet Actus Apoſtolorum, Epiſtolas JACOBI & PETRI 1mam, & ſecundam, JOANNIS 1mam, 2. & 3tiam JUDÆ & Apocalypſin cum Gloſſa ordinaria & interlineari. Liber Sæculi XIIII.

CODEX 26. alt. 12. lat. 8. Unc. Gloſſa interlinearis & ordinaria in Epiſtolas PAULI omnes. Liber Sæculi 14ti.

CODEX 27. alt. 11½ lat. 9½ Unc. Commentarius manuſcriptus in APOCALYPSIN. Sæculi 16. vel 15ti. *Chartaceus Codex.*



CLAS-

CLASSIS SECUNDA.

CODEX 28. alt. 15. lat. 10. Unc. Continet Omelias ORIGENIS ſuper Vetus Teſtamentum. Codex Sæc. IX.

NOTA X. *De Fatis Doctrinæ Origenis.*

Codex XXVIII. exhibet Scriptorem Sæculi tertii Origenem, qui anno CCLIV. obiît Alexandriæ in Ægypto, ubi poſt CLEMENTEM Stromateum Præceptorem ſuum Catecheſeos in ea Eccleſia Magiſter fuit. Eſt quidem ex antiquiſſimis teſtibus Catholicæ Doctrinæ, ſed propter admixtos errores varios & hæreſes jure merito à Romanis SS. PP., à Chriſtianis Impp., & à quinta Oecumenica Synodo damnatos, nec Halloixio, nec ulli Catholico defendendus eſt. Criſin in ejus opera edidere quamplurimi inde ab HIERONYMO & RUFFINO ad proxima noſtra tempora, quibus BELLARMINUS, POSSEVINUS, BARONIUS, SIXTUS Senenſis, LABBEUS, TILLEMONTIUS eandem exercuerunt, & opera ſuppoſititia à Genuinis diſcreverunt. Origenis Hexapla, quæ ſuperſunt in Geneſin & cæteros Scripturæ Libros, incomparabili diligentiâ collegit & edidit. Bern. de MONTFAUCON Pariſiis Anno 1713.

CODEX 29. alt. 9½ lat. 10. Unc. In fronte ſcribitur: Liber WILLIBERTI Archi-Epiſcopi. Continet Tra-

ctatum S. HILARII in Psalmum centesimum decimum octavum. Liber Sæculi 9ni, quo Willibertus sedit, ab anno DCCCLXIII. ad DCCCXC.

NOTA XI. *De Ætate & Orthodoxia Scriptoris.*

S. Hilarii Pictavorum Episcopi commentarium continet Codex XXIX. Hic Defensor acerrimus Catholicæ Fidei, quam in Oriente voce & stilo tuitus est, reversus ab Exilio in Gallias ad vitæ finem tenuit illibatam: defunctus hac vita XIII. die Januarii Anno CCCLXVII. Sat laudat Virum, qui ab ATHANASIO, AMBROSIO, HIERONYMO, AUGUSTINO laudatum dicit.
Opera ejus ex recensione *Joannis Gillotii* Coloniæ recudit *Antonius Hieratus* Anno MDCXVII. & auctiora & emendatiora præstitit operâ suâ.

CODEX 30. alt. 13½ lat. 9½ Unc. Continet DIONYSII Areopagitæ libros de *Cœlesti Hierarchia & Divinis Nominibus*, de *Ecclesiastica Hierarchia & Mystica Theologia* ex græco latinos factos à JOANNE ERIGENA, & dedicatos CAROLO CALVO, quo jubente & postulante translati sunt. Ejusdem Sæculi Liber.

NOTA XII. *De Codice analogo huic recensito.*

Codex XXX. singularis elegantiæ & Sæculum nonum undequaque redolens. Meminit Philippus LABBE *in Dissert. Histor. de Scriptor. Ecclesiast.* Similis elegantissimi membranacei Codicis

in

in Bibliotheca Collegii Bituricensis Societ. JESU à se visi, in quo & hi quatuor Libri continentur, ex versione Joannis Erigenæ Scoti, Præfatione & versibus ad Regem Carolum, uti in hoc nostro Metropolitico. Præcedit Anastasii S. R. E. Bibliothecarii Epistola ad eundem Regem, data X. Kal. Aprilis, Indictione VIII. Igitur Anno DCCCLXXV, ut conjicit Labbeus, in qua de Scholiis ab se Anastasio latinè versis meminit. *Labbé V. Anastas.*

NOTA XIII. *De Genuinis Libris Dionysii Areopagitæ an alterius?*

Jam à Sæculo V. ad nostrum decimum octavum incruentum geritur bellum in Republica Literaria, an hi, qui Nomine Dionysii Areopagitæ inscribuntur Libri, sint Germani partus Discipuli S. Pauli Act. XVII. 34. laudati? THEODORUS Presbyter apud *Photium Cod. I.* S. MAXIMUS, HILDUINUS Abbas San-Dionysianus, à Sæculo sexto ad nonum affirmantium cohortem duxere. Martinus Papa in Synodo Lateranensi A.C. 648. tum Monothelitæ hæretici, & Severiani in collatione cum Catholicis A.C. 533. Hi nempe vel dubitarunt, vel negarunt, vel pronuntiarunt Non Liquere, Scriptor Libri de Cœlesti Hierarchia sit, an non sit S Pauli Discipulus?

Interstitium armorum successit per octo Sæcula. Sæculo XVI. Christiano recruduit bellum. Affirmantium Primipili *BARONIUS, BELLARMINUS, DELRIUS, HALLOIXIUS, LANSSELIUS, CORDERIUS, SAUSSAYUS, NATALIS ALEXANDER Dissert. XXII. in Sæculum I.*

Negantium triplò numerosior cohors est. Nam præter *Lutherum* & *Calvinum*, similésque Hierarchiæ Ecclesiasticæ & Monachatûs hostes, eruditissimi Catholici ab inficiantibus steterunt. GAZA, VALLA, CAJETANUS, PETAVIUS, MORINUS, LAUNOIUS, PAPEBROCHIUS, PAGI, A.C. 107. §. 8. *Tillemontius Tomo II. Comment. Eccles. p. 525.*

Nos vocatis ad stateram critices argumentis utriusque partis probabilem defendimus Anno 1744. Ajentium Sectam; nec evidens argumentum suppositītii fœtûs deprehendimus.

An nunc idem Pauli Discipulus fuerit Episcopus Parisiorum, nova quæstio est, quam Francis decidendam relinquo.

CODEX 31. alt. 13½ lat. 9. Unc. Continet Exameron S. Ambrosii. Liber Sæculi XII.

NOTA XIV. *Epitome Vitæ Ambrosianæ.*

Codex XXXI. & seqq. S. AMBROSII Opera exhibent, qui Anno Christi 333. natus, Patre Ambrosio Galliarum Præfecto, Anno 374. 7. Decembris creatur & consecratur Mediolanensium Episcopus, ad Superos abiit die 4. Aprilis Cæsario & Athio Coss. qui Anno 397. Fasces gesserunt.

Ejus Opera varia sparsim variis temporibus, Coloniæ, Anno 1616, & alibi, sed Opera Jacobi Frischii & Nicolai Nuniti Benedictinorum omnia excusa fuêre 1686. & 1691. Parisiis. Folio.

CODEX 32. alt. 12½ lat. 10. Unc. Continet Epistolas S. Ambrosii; & Historiam Nabuthæ. In fine est anno-

annotatio hæc = *Anno ab Incarnatione Dni Millesimo XXXI. Indictione XV. à Festivitate S. Michaelis Archangeli, quæ est tertio Kalendas Octobris, fuerunt imbres & pluviæ toto tempore.* Ejusdem nempe XI. aut decimi Sæculi videtur Codex.

CODEX 33. alt. 16. lat. 11½ Unc. Continet Epistolas Ss. Patrum Augustini, Ambrosii, Joannis Chrysostomi, Faustini Episcopi, & Alypii. Codex Sæculi Xmi.

CODEX 34. alt. 12. lat. 9. Unc. Tractatus S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis in Epistolas S. Pauli. Incipit = Ut rerum notitia plenior habeatur. In fine est commentarius in Epistolam ad Philemonem, cujus finis = *Persecutiones ad vincula, & cujus requies non erat, nisi in solo Christo.* Sæculi 13tii.

NOTA XV. *Crisis in Commentarium S. Ambrosio attributum.*

Quem Codex XXXIV. & Codex XXXIX. præ se fert *Commentarium in Epistolas S. Pauli*, hic inter Opera S. Ambrosii Coloniæ editus est, & vulgò habetur. Sed verosimilior opinio est HILARIUM Sardicensem Romanæ Ecclesiæ Diaconum Autorem esse hujus Commentarii, judicibus PETAVIO, LABBEO. v. HILARIUS Diacon. BELLARMINUS, Herveo-Dolensi in Biturigibus Monacho eundem adjudicat, *L. de Scriptoribus Ecclesiasticis.*

CODEX

CODEX 35. alt. 12. lat. 8. Unc. Sermo S. AMBROSII in Hypapante Stæ Mariæ. Liber ſcriptus variâ manu, imò variis Sæculis, inter 10mum & 14tum.

CODEX 36. alt. 11. lat. 8. Unc. S. AMBROSIUS de Officiis. Liber Sæculi 15. vel 14ti. In fine additur vita S. Ambroſii.

CODEX 37. alt. 11. lat. 7½ Liber S. AMBROSII de Officiis. Liber Sæculi 13tii.

CODEX 38. alt. 10. lat. 8. Continet S. AMBROSII Librum unum de Fratris exceſſu; unum de Fide Reſurrectionis, duos de Pœnitentia. Tres de Virginibus, unum de Adhortatione Viduitatis. Unum de Virginitate perpetua B. Mariæ. Liber Sæculi 11mi.

CODEX 39. alt. 10½ lat. 7. In fronte notatur: Liber GUNTHARII. Continet Tractatum S. Ambroſii in Epiſtolam ad Romanos. Incipit Prologus = *Ut rerum notititia habeatur plenior, principia rerum inquirenda ſunt prius.* Finis = *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Liber videtur Sæculi 11mi. Sed ſi fuit Guntharii Archi-Epiſcopi, qui ANNO 853. electus, ANNO 863. excommunicatus & depoſitus fuit, eſt Liber Sæculi noni.

NOTA

NOTA XVI. *De Libris S. Ambrosio suppositis.*

Codex XXXV. & XXXVIII. continet Sermonem in Hypapante: seu de Festo Purificationis, & de Virginitate perpetua Beatæ Mariæ: Genuinus hic Sermo sit, an supposititius Ambrosio? Vide dubia mota ab Bellarmino.

Illustrissimus Nopelius Suffraganeus Coloniens. *Confessionem Ambrosianam* edidit, quo tempore Decanus Collegiatæ Cæsaris-Insulanæ Ecclesiæ erat. Sub hoc titulo *Confessionis* intelligitur Systema integrum Dogmatum Catholicorum per Sententias ex S. Ambrosio excerptas in ordinem digestorum, distributum in IV. Libros: in quibus Dogmata Sæculo XV. controversa ex S. Ambrosio confirmat. Edit. Colon. 1580.

CODEX 40. alt. 15. lat. 8. Unc. Incipiunt Omeliæ JOANNIS Constantinopolitani Episcopi in Evangelium secundùm Matthæum. Videtur esse Liber Sæculi Xmi.

NOTA XVII. *Biographia S. Joannis Chrysostomi.*

Codices XL. & XLI. aliqua servarunt nobis ex Operibus S. Joannis Chrysostomi, qui ex Presbytero Antiocheno ANNO Christi 398. ad Thronum Cp. Regiæ Urbis evectus, ex eo dejectus ANNO 403. ab Exilio revocatus, sed denuò ejectus, obiit ANNO 407. ætatis 53.

CODEX 41. alt. 14. lat. 10. *In fronte* Codex S. PETRI SUB PIO PATRE HILDEBALDO Archiepiscopo scriptus. Continet Commentarium S. JOANNIS CHRYSOSTOMI in Epistolam ad Hebræos.

CODEX 42. alt. 16. lat. 11½ Unc. Epiſtolæ S. JOANNIS CHRYSOSTOMI, contentæ in Codice 33.

CODEX 43. alt. 12. lat. 8½ Commentarius HIERONYMI ad Jobum, Tobiam, Judith, Eſter, Eſdram. Liber Sæculi 9ni. Præfatio conſtat literis uncialibus.

NOTA XVIII. *De Ætate & Editionibus S. Hieronymi.*

Codex hic, & viginti ſequentes, varios Commentarios in Scripturam aliáque S. Hieronymi Opera ad nos transmiſerunt. Ex his tres Hildebaldinâ Canitie venerandi ſunt. Vir hic tot linguarum Orientalium peritus, natus eſt Stridone in Dalmatia anno 329. anno 378. ordinatus fuit Presbyter Antiochiæ à Paulino, cùm jam Italiam, Galliam, Syriam, & multas Græciæ, Aſiæque luſtrâſſet Provincias: anno 382. Romam reverſus ab Epiſtolis Damaſi Papæ fuit, quo mortuo anno 385. remeavit in Syriam & Palæſtinam, tandem ſenex in Bethlehem conſedit, mortuus 30. Septembris 420. BARONIUS, BELLARMINUS, TILLEMONTIUS *Comment. Hiſtor. Eccleſ. Tomo X.* DUPINIUS, LABBEUS variam & accuratam criſin in ejus opera exercuerunt, ſed nemo pleniorem San-Dionyſiano Monacho JOANNE MARTIANÆO Editore Operum hujus Patris: pleniorem appromittunt SCIPIO MAFFEIUS, & DOMINICUS VALLARSIUS Veronenſes Clariſſimi: 1735.

Rmus Cornelius SCHULTINGIUS Canonicus Andreaticus edidit anno 1584. *Confeſſionem Hieronymianam*, in qua Dogmata

mata omnia Catholica præsertim Sæculo XVI. controversa, in corpus unum redacta, & divisa sigillatim probat Sententiis Hieronymianis. Quæ singularem crisin merentur ex Codicibus Hieronymianis, nunc pando.

NOTA XIX. *Crisis de Authentia hujus Commentarii.*

Codex XLIII. præfert Commentaria in Jobum, vulgò attributa S. Hieronymo: sed hæc esse Hieronymi negat TILLEMONTIUS, & vel Philippi, Discipuli S. Hieronymi, vel Bedæ esse conjicit. LABBEUS Bedæ Commentarium eundem Hieronymiano asserit, negat DUPINIUS.

Videatur Tillemont. *Comment. Hist. Eccles. Tom. XII. Adnotatione 84. in Vitam S. Doctoris.*

CODEX 44. alt. 9½ lat. 6. Commentarius in Libros Paralipomenon ad CHROMATIUM Episcoporum sanctissimum & doctissimum scriptus. Sæculi 11mi.

CODEX 45. alt. 14. lat. 10. Commentarius S. Hieronymi in Psalterium, prævio Calendario antiquissimo, & Commentario in Cantica sequente. Liber singularis raritatis, Sæculi IX.

NOTA XX. *An supersint Commentarii Hieronymiani in Psalterium sæpè ab hoc S. Doctore versum? vide Notam VII.*

Codex XLV. Psalterium Davidicum cum Commentario Hiero-

ronymi sæpissimè recuso habet. Reverà S. Doctor nonnullos Psalmos est commentatus, uti ipse testatur: aliud autem est transferre ex lingua in linguam, aliud commentari. Ii, qui nunc circumferuntur *Commentarii* sub Hieronymi nomine in omnes Psalmos, prorsus Hieronymi non sunt, sed Autoris posterioris, qui multa ex Hieronymo, aliísque Patribus inseruit. *DUPINIUS & TILLEMONTIUS Notâ XXII. ad S. Hieron.* Idem contra MARIANAM & SCHULTINGIUM censet *LABBE Dissert. Histor. de Scriptor. Eccles. Verbo: Hieron.*

CODEX 46. alt. 11. lat. 8. Unc. Tractatus HIERONYMI Presbyteri in Ecclesiasten; Græca inserta sinè accentibus, & literis quadratis scribuntur. Liber Sæc. XI.

CODEX 47. alt. 17. lat. 15. Unc. Sæculi IX. Commentarius S. Hieronymi in Esaiam Lib. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII.

CODEX 48. alt. 15. lat. 10. Explanatio S. Hieronymi in Isaiam Prophetam. Liber mutilus in fine. Sæculi XI. vel XII.

CODEX 49. alt. 12. lat. 7. Continet Præfationem Hieronymi, deinde Isaiam & Jeremiam ex ejusdem versione. Liber 13. vel 14ti Sæculi.

CODEX 50. alt. 14. lat. 4. Continet Libros S. Hieronymi

ronymi in Prophetam Hieremiam verſus ultimus = *Et teſtes adhibiti ſunt & in Civitatibus Campeſtribus C.XXXII. v.* 44. Sæculi XI.

CODEX 51. alt. 15. lat. 11. In fronte libri: Liber ſub pio Patre Hildebaldo ſcriptus. Explanatio S. Hieronymi in Ezechielem Prophetam.

CODEX 52. alt. 12. lat. 8½ Unc. Continet explanationem S. Hieronymi in Zachariam (quæ partim ambuſta, partim exeſa eſt) & in cæteros Prophetas Minores uſque ad Malachiam incluſivè. Videtur Liber Sæculi XI.

CODEX 53. alt. 19. lat. 14. Commentarius S. Hieronymi in Prophetas minores ab Oſea ad Malachiam, ſed hunc non integrum. Codex Sæculi Xmi.

CODEX 54. alt. 10. lat. 6½ Codex S. Petri ſub pio Patre Hildebaldo Archi-Epiſcopo ſcriptus. Continet explanationem S. Hieronymi in Abdiam, Jonam & Nahum circa 397. ſcriptam.

CODEX 55. alt. 15. lat. 10. In fronte: Codex S. Petri ſcriptus ſub pio Patre Hildebaldo Archi-Epiſcopo. Continet expoſitionem S. Hieronymi in Micheam, Abacuc, & Sophoniam.

CODEX 56. alt. 14. lat. 11. Interpretatio quatuor Evangeliorum S. Hieronymi cum picturis non deauratis, videtur Sæculi VIII. vel IX. Diſtinctio Capitulorum & Verſiculorum, ſeu minorum Sectionum eadem eſt, quæ in codice 14to.

CODEX 57. alt. 13½ lat. 9. Continet expoſitionem in Evangelium Matthæi uſque ad parabolam Seminantis. Subjungitur ejuſdem Hieronymi Præfatio in quatuor Evangeliſtas & de Genealogia Chriſti. Sæculi XII.

CODEX 58. alt. 11. lat. 8½ Continet explanationem Hieronymi in Epiſtolas Pauli ad Epheſios, ad Titum, ad Philemonem. Textus ſunt ſcripti litteris quadrangulis, Commentarius charactere curſivo. Videtur Sæculi 11mi.

NOTA XXI. *De Commentario Hieronymi in Paulum.*

Codex hic explanationem habet Hieronymi in aliquot Pauli Epiſtolas. Quod Evangelia latina ex Græco emendaverit juſſu DAMASI PP. conſtat: an cæteris N. T. Libris eandem operam navaverit, non perinde liquet. *Commentarii* autem *in Epiſtolas Paulinas*, qui circumferuntur, credula antiquitas Hieronymo tribuit, ejusque operibus inſeruit, uti & *Libellum Fidei*, & Epiſtolam ad *Demetriadem* Virginem: quæ tria ſunt indubitatus

tus PELAGII hæresiarchæ foetus ante annum 412. scriptus, & quidem primum Opus Commentariorum in Paulinas Episto-las AUGUSTINO lectum & hæretico veneno infectum agnitum fuit: idem à Cassiodoro qualicunque modulo emendatum fuit, qui primus Sæculo VI. scribens id Hieronymo videtur attribuisse *GARNERIUS in Not. ad MARIUM Mercatorem Dissertat. VI. de Scriptis Pelagii p. 367. & MILLIUS in Prolegomenis Novi T. Græci: n. 850. - 856.*

CODEX 59. alt. 15. lat. 10. Titulus uncialibus literis scriptus hic est: In Nomine Domini incipiunt Epistolæ S. Jeronymi Presbyteri, *divisæ propter gravitatem ponderis.* Sæculi XIII.

CODEX 35. *b* Epistolæ S. Hieronymi ad varios.

CODEX 35 *c* Hieronymi ad Heliodorum & Nepotianum.

CODEX 60. alt. 13½ lat. 8. Continet Epistolas S. Hieronymi ad varios & variorum ad ipsum. Incipit ab Epistola Damasi = *Dormientem te & longo jam tempore legentem.* Ultima Epistola ad Principiam Virginem. Explanatio Psalmi 44ti. Liber Sæculi X. vel XI.

CODEX 31. *b* alt. 13½ lat. 9. S. Hieronymi contra Jovinia-

vinianum Libri II. Secundus Liber eſt mutilus in fine. Liber Sæculi XII.

CODEX 61. *a* alt. II. lat. 6. continet Libros S. Auguſtini duodecim in Geneſin ad Literam.

NOTA XXII. *De Criticis Operum S. Auguſtini.*

A Codice 61. ad 78. habemus Opera S. Auguſtini. In cujus Sanctiſſimi Doctoris Opera Criſin Catholicam exercuere plurimi & maximi Viri poſt Baronium, Bellarminum, Labbeum, TILLEMONTIUS, Tomo XIII. Hiſtor. Eccleſ. & nunquam ſatis laudandi incomparabiles Viri è Familia S. Bened. Congreg. S. Mauri Monachi Editores omnium Operum S. Auguſtini. Hanc editionem jure ab Catholicis maximo pretio habitam recuderunt Proteſtantes *Genevæ* ſub Titulo *Antverpiæ*, & Joannes Clericus Sociniano-Pelagianus ſub larva *Joannis Phereponi* Tomum notarum peſtilentiſſimarum de ſuo cerebro adjecit. Quem Cl. MURATORIUS ſub nomine *Lamindi Pritanii* eruditiſſimè & ſolidiſſimè confutavit, & Criſeos Catholicæ caſtigatiſſimæ ſpecimen mundo literato reliquit. Natus eſt S. Auguſtinus Tagaſtæ in Numidia ANNO 355. Idibus Novembris, baptizatus à S. Ambroſio ANNO CCCLXXXVII. Sabbatho antè Paſcha, creatur Epiſcopus ANNO 396. obiit ANNO 430. die 28. Auguſti.

CODEX 61. (*b*) Deinde tres Libros de conſenſu & concordia Evangeliſtarum. Liber Sæculi 12mi.

CODEX

CODEX 62. alt. 17. lat. 13. Unc. Sæculi xv. continet Commentaria Latina Ss. Auguſtini, Caſſiodori, Hieronymi, Remigii in Pſalterium David.

NOTA XXIII. *De Catenis PP. in S. Scripturam.*

Codex LXII. continet *catenam* ſeu centonem variarum Commentationum ex PP. congeſtarum in quendam Scripturæ Librum explicandum: quos inter PP. & S. Auguſtinus eſt. Hujusmodi catenæ tum græcæ, tum latinæ in varios Scripturæ Libros variæ extant.

Cl. Millius *in Prolegomenis ad N. T. Græcum* n. 1448. narrat ſe in Armario Bodleiano reperiſſe Macarii Chryſocephali Metropolitæ Philadelphienſis Catenam ſeu Exegeſin in Matthæum, collectam ex Chryſoſtomo, & aliis PP. Græcis. Idem ibidem alteram Catenam in Epiſtolam ad Romanos exſcriptam ex Codice Gaditano per Joannem Lluydum Anno 1601. Autores in ea citati ſunt: ACACIUS, APOLLINARIUS, CHRYSOSTOM. CYRILLUS, DIDYMUS, DIODORUS, EUSEBIUS, GENNADIUS, ISIDORUS, PHOTIUS, SEVERIANUS, SEVERUS, THEODORETUS, THEODORUS.

Tertiam Catenam idem Cl. & indefeſſus Vir ex Bibliotheca publica Oxonienſi inter Codices *Baroccianos EUTHIMII* catenam Ms. in quatuor Evangelia detexit.

De Latinis Catenis, qualem S. Thomas de Aquino in N. T.

ſcripſit, ex Patrum Sententiis collectis, videantur *SIXTUS SENENSIS, POSSEVINUS &c.*

CODEX 63. alt. 15. lat. 11. Unc. In fronte Libri: *Codex S. Petri ſub pio Patre Hildebaldo ſcriptus.* In hoc Codice continetur Tractatus Auguſtini ſuper 50. Pſalmos priores.

NOTA. XXIV. *De Hildebaldinæ Bibliothecæ Libris.*

Codex LXIII. & LXVII. non comparent inter eos, quos fragmentum Catalogi Hildebaldini apud Illuſtriſſimum Gelenium recenſet, libros: unde conſequens eſt nos plures habere, quàm qui à GELENIO recenſentur, attamen ex Gelenianis ipſis plurimi noſtræ Bibliothecæ jam deſunt.

CODEX 64. alt. 13. lat. 10. continet expoſitionem S. AUGUSTINI in Pſalmos. Initium mutilum, dein à Pſalmo 31mo uſque ad 50mum, finis = *Tu imple perſonam tuam, Dominus de illo exigit ſuam. Deo gratias Amen.*

CODEX 65. alt. 16. lat. 12. In fronte: Liber S. Petri. Continet Enarrationes S. AUGUSTINI à Pſalmo 51. ad Pſalmum 94. reliquis avulſis uſque ad centeſimum. Liber Sæculi noni.

CODEX 66. alt. 13½ lat. 9. Explanationes S. AUGUSTINI

TINI

TINI à Pſalmo = *Cum tribularer, ad te Dominum clamavi* = uſque ad Pſalmum = *Domine non eſt exaltatum cor meum.* Liber ſcriptus variâ manu & diverſis temporibus. Sæculi XIII. vel XIV.

CODEX 67. alt. 15. lat. 12. Unc. In fronte Libri: Codex S. Petri ſub pio Patre HILDEBALDO ſcriptus. Continet expoſitionem S. Auguſtini ſuper Pſalmorum tertiam partem.

CODEX 68. alt. 13. lat. 10. Quæſtiones Auguſtini in Matthæum, Lucam, & Joannem. Incipit = *Inter omnia Divinæ Hiſtoriæ Volumina.* Finis = *Ad dona perveniamus ſempiterna, quæ promiſit.* = Bis legitur in fronte = *Liber Athilini.* Sæculi 11. vel 12mi.

CODEX 69. alt. 13. lat. 10. Continet expoſitionem AUGUSTINI in Evangelium ſecundùm Joannem = Incipiunt Capitula primum de Cœna Domini = Septuageſimum = *De eo quod dicit, & cum hoc dixiſſet, dicit eis ſequere me: uſque in finem.* Liber Sæculi IX.

CODEX 70. alt. 13. lat. 10. Continet S. AUGUSTINI Sermones varios de verbis Domini, deinde excerpta ex variis Libris S. Auguſtini. Liber Sæculi XI.

CODEX 71. *a* alt. 11½ lat. 9. continet primò Libros

 duos

duos S. AUGUSTINI de Sermone Domini in monte. Secundò Librum de Agone Christiano. Liber Sæculi XIII. vel XIV.

CODEX 72. alt. 13. lat. 7½ continet Commentarium S. AUGUSTINI in Epistolam S. Joannis. Incipit = *Meminit sanctitas vestra* = Finit = *Tibi vis ut credam & parentibus meis maledicenti, quàm tu credas Christo prædicanti.* Liber Sæculi XII.

CODEX 73. alt. 11½ lat. 7½ In fronte habetur: *Liber Petri Abbatis.* Continet Sententiam CASSIODORI de Tractatoribus Scripturarum Divinarum, deinde ejusdem Cassiodori excerpta ex Augustino & Prospero, quibus commentatur Epistolam ad Romanos. In fine = *Explicit S. Augustini Episcopi in Epistolam B. Pauli Apostoli ad Romanos* collecta ex opusculis ejusdem S. Patris à *Petro Tripolitanæ Provinciæ Abbate. Hæc BELLARMINUS BEDÆ attribuit. vid. LABBEUM de Scriptor. Ecclesiast. v. Beda.* Liber Sæculi 12mi vel 13tii.

NOTA XXV. *De Abbatibus & Prioribus Coloniensis Ecclesiæ.*

Codex 73. donatus videtur fuisse Bibliothecæ à Petro Abbate.... *Abbates* dicebantur primo Millenario in Ecclesiis Collegiatis Canoni-

nonicorum Coloniensium ii, qui nunc dicuntur *Præpositi;* & Ecclesiastici *Prælati*, generatim dicebantur *Priores* ipso adhuc Sæculo XIV. testibus Historiographis & Diplomatibus. Quare verosimile est *Petrum* hunc fuisse Basilicæ hujus primum Prælatum, qui idem Archidiaconus primus Archidiœcesis est usque ad nostram ætatem. Anno namque 1273. reperitur PETRUS Præpositus Majoris Ecclesiæ in Statuto *de Residentia* Scholastici, nec alius Petrus inter Præpositos ante vel post Hunc comparet; unde corroboratur ætas Codicis.

NOTA XXVI. *Quis Autor Commentariorum Epistolæ ad Romanos inter Opera S. Augustini.*

Commentarium in Epistolam ad Romanos in Augustinianis Operibus Illustrissimus BARONIUS tribuit Petro Tripolitano Abbati: uti & noster Codex Ms. n. 73. Contra Ill. BELLARMINUS eundem Bedæ asserit, cui subscribit *LABBEUS Dissert. Histor. de Scriptor. Eccles. verbo Beda:* nec habere se affirmat, quod Crisi Bellarminianæ adjiciat; Commentarii verò in Psalterium *Basileæ* Anno 1491. excusi, & *Brisgoviæ* Anno 1538. recusi non sunt Cassiodori, licèt inter ejus Opera numerentur: quod Labbeus ostendit.

Perillustris SCIPIO MAFFEIUS *Italiæ & Gentis suæ Heros*, cum Ms. Codices Veronensis Ecclesiæ scrutaretur, incidit in Psalterium Latino-Græcum, cujus Voces Græcæ latinis characteribus descriptæ sunt. In eadem Veronensi Bibliotheca nactus est genuinum Codicem, *Expositionis Psalmorum*, quam

non Bedæ, non Petro Tripolitano, ſed Magno Aurelio Caſſiodorio Senatori Viro Patricio vindicat illuſtris hic crites, præfatione eruditâ in hunc Commentarium editâ *Tridenti* 1742. *Typo Joannis Baptiſtæ Barone* in folio, poſt Hiſtoriam Theologicam Doctrinæ de Gratia ejuſdem Marchionis.

Idem Summus Vir *Complexiones* Caſſidorii breves in omnes Epiſtolas Pauli primus edidit ex eadem Veronenſi Bibliotheca Typis iisdem, unde apparet, quantus fructus Eccleſiæ nedum Literariæ rei eveniret, ſi Ms. Theſauri Eccleſiarum Cathedralium recluderentur, tantò ſecuriores, quantò Orbis melior teſtis eſt & cuſtos Theſauri, quàm duo aut tres homines.

NOTA XXVII. *De Titulo Operis Caſſiodori.*

CASSIODORUS de *Tractatoribus Scripturarum Divinarum*, idem liber eſt, quem Trithemius & Duvallius compellant Inſtitutionum *de Divinis Lectionibus Libros duos* editos Pariſiis curâ Duvallii Anno MDC. & alibi. Novam omnium Caſſiodori Operum editionem pollicetur Perilluſtris Scipio Maffeius.

CODEX 74. alt. 12½ lat. 8. In hoc Codice ſunt Libri quatuor de Doctrina Chriſtiana B. M. Aurelii AUGUSTINI Epiſcopi & alii duo contra Manichæos. Videtur Sæculi 13tii ſcriptus liber. Finis = *Atque utinam frueremur, ſicut perceptum omni ligno Paradiſi.*

CODEX 75. alt. 13. lat. 8½ continet Libros decem primos de Civitate Dei. Liber Sæculi x.

CODEX

CODEX 76. alt. $9\frac{1}{2}$ lat. 7. Unc. continet S. AUGUSTINI de Disciplina Christiana Librum unum. Sermonem in illud: *Dimittite & dimittetur vobis.* Librum unum de Sancta Virginitate. Libros duos de Nuptiis & Concupiscentia. Liber Sæculi 15ti.

CODEX 77. alt. 10. lat. 7. continet S. AUGUSTINI Libros *de Beata Vita; de Videndo Deo; de Fide & operibus; de Prædestinatione Dei*: Contra Donatistas: *de Septies percussa. In Salutationem Epistolæ ad Romanos; ad Simplicianum; ad Dulcitium.* Liber Sæculi 13tii.

CODEX 78. alt. $11\frac{1}{2}$ lat. 9. S. AUGUSTINUS *de Bono Conjugali.* Explicit Liber S. Augustini *de S. Virginitate.* Incipit Ejusdem ad Julianam *de Viduitate* conservanda. In eodem Codice *ad Probam de orando Deo* Liber, quem in libro superiori de Bono Viduali ad Julianam edito nominavit. Liber Sæculi 10mi.

CODEX 78. AUGUSTINUS de Spiritu & anima: de Dignitate humanæ conditionis: de Verbo Dei & anima: Volumen Sæculi xv.

NOTA XXVIII. *De Operibus S. Augustino perperam attributis.*

Libri contenti Codice 78. non sunt Augustini: putà hi *de Spiritu*

ritu & Anima rejectus ab Benedictinis in Tomi VI. Appendicem. De Dignitate conditionis humanæ; de Verbo Dei & Anima. De Prædestinatione Dei. Cod. 77. Rejectus in Tom. X. Append. Uti *Epistola ad Demetriadem*, quæ Pelagii est, rejecta in Append. Tomi II. Simili crisi accurata Eruditissimi Benedictini in quovis Tomo Operum Augustini genuina à suppositititiis secernunt.

CODEX 79. alt. 11. lat. 9. S. PROSPERI Epistola *de Gratia & libero arbitrio.* De eo = *quòd vult omnes homines salvos fieri. Responsiones ad Capitula Calumniantium Gallorum. Responsiones contra Capitula Objectionum Vincentianarum.* Item *Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi Civitate sunt missa.* Responsio S. Augustini ad Dulcitium. Ejusdem Liber Hypognosticon. Liber Sæculi 10mi vel 9ni.

NOTA XXIX. *De S. Prosperi Scriptis.*

Codex 79. multa S. Prosperi Opera servat: Ea Anno 1630. *Coloniæ Typo Joannis Crithii* prodierunt: sed plenior & castigatior Editio est Parisina Anni 1611. cui vita præmittitur ex Operibus ejusdem commentata. PROSPER in Aquitania natus circa A. C. 426. ad Augustinum literas dedit cum Hilario, quibus respondet tantus Doctor missis celeberrimis duobus Libris *de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono Perseverantiæ.* Augustini Magistri sui Anno 430. mortui Calumniatoribus, Vincentio & Presbyteris Genuensibus strenuè respondet. Romam cum Hilario pro-

profectus à S. CÆLESTINO defenditur, CASSIANUM & EUTYCHIANOS sub S. Leone [cujus Notarius fuit] non verò Episcopus Regiensis (ut vulgò habetur.)

Eminentissimus NORISIUS & BUCHERIUS non eunt inficias Prosperum Anno 460. adhuc vixisse: sed LABBEUS Anno 456. mortuum probabili conjecturâ autumat.

NOTA XXX. *De Scriptore Libri Hypognosticon.*

Liber Hypognosticon à Benedictinis S. Mauri in Tomi X. Operum Augustinianorum appendicem rejicitur, ubi *P. Garnerii* nostri Librum hunc Sixto Presbytero Romano [qui Cælestino in Cathedra Petri successit] adjudicantis conjecturam non rejiciunt, sed corroborant: hoc certum nec Augustini, nec Prosperi Opus esse.

CODEX 80. alt. 13. lat. 10. In hoc Libro continentur S. AUGUSTINI variæ Epistolæ. Item Papæ CÆLESTINI, HILARII & ALIPII. Videtur esse Sæculi XII.

CODEX 33. *b* Epistolas S. Augustini continet & Alipii. Sæculi X.

NOTA XXXI. *Alipii Vitæ conspectus.*

Alipius Episcopus Tagastensis, & Numidiæ Primas, amicus familiaris S. Augustini, ante utriusque conversionem ad Ecclesiam Christi ex Manichæismo, tum ejusdem in Rhetorica Discipulus

pulus Carthagine fuit. Baptizati ambo Sabbato ante Pascha Anni CCCLXXXVII. quæ erat dies XIV. Aprilis à Sancto Ambrosio. Cum S. Hieronymo amicitiam iniit, profectus ad Loca Sacra visenda circa CCCXCIV. Eodem anno pænè factus Episcopus Patriæ Urbis Tagastensis, Pelagianis oppugnandis post Augustinum Princeps extitit in Conciliis Africanis, & in Epistolis ad Romanos PP. Bis Romam profectus ob Pelagianam, aliásque causas, unde ad Augustinum misit *V. Libros priores contra Julianum.* TILLEMONTIUS *T. XII. Hist. Eccles. Comment.*

CODEX 81. alt. 10. lat. 7½ Unc. continet PRUDENTII Carmina, quæ nuncupantur, Virorum Illustrium, cum interlineari commento insulsi Grammaticastri: deest ultimum carmen quo Historias Veteris & Novi Testamenti distichis binis ternísve describit; elegantissimus Vindex & Testis Catholicæ Fidei & Disciplinæ pro Sæculo IV. & V. Liber Sæculi XI.

NOTA XXXII. *De Prudentii Ætate.*

Prudentius Cod. hoc repræsentatus, Hispanus, Aurelii Prudentii Clementis nomen gerit. Natus Coss. Philippo & Saliâ, adeóque Anno 348. ut de se canit: nam in Cathemerini Præfatione, quam Coss. STILICONE & AURELIANO seu Anno 405. scribebat, annum ætatis 57. attigisse se testatur. Mortis annus non liquet. *LABBEUS ex Scriptoribus, quos laudat & inspexit.*

CODEX

CODEX 35. *c* Homeliæ S. CÆSARII Arelatensis à 75. ad 88vam.

NOTA XXXIII. *De Ætate & Homiliis ejusdem.*

Cæsarius circa Annum 502. in Cathedram Arelatensis Ecclesiæ successit, è qua ad Superos migravit Anno 40. Sedis, die 27. Augusti Anno 542; ætatis 73. *Homiliæ* ejus, quæ in *Bibliotheca PP. Coloniensi* Tom. V. part. III. & Judice *Pagio* in *Critica Baronii* ad A. C. 453, nonnisi 46. extant, uti & in Parisina, variis de causis controvertuntur: nonnullas earum Supposititias fatetur *LABBEUS Dissert. Histor. de Script. Eccles.* At in hoc Codice minimum 88. scriptæ Homiliæ continentur, succurrunt nobis Benedictini Editores Operum S. Augustini, in cujus Operum *Tomi quinti appendicem* rejiciunt *centum & duos Sermones* Cæsarii Arelatensis, quæ tum Augustino, tum aliis suppositi fuêre; longè plures ab hoc S. Viro Sermones editos, dictos, scriptos fuisse Benedictini Critici ponunt, nec inficiantur, quod liberaliter Augustini, Leonis & aliorum antecedentium Patrum Libris Cæsarius usus sit, ex iisque Sermones contexuerit.

CODEX 82. *b* alt. 10½ lat. 7. (*a*) Incipit Liber B. Eucherii Episcopi Eruditionum, sive de Quæstionibus V. & N. Testamenti Libri duo. Videtur Sæculi 12mi.

NOTA XXXIV. *Ætas Scriptoris.*

Eucherius Lugdunensis Episcopus Judice Tillemontio Tomo

 XV.

XV. *Commentariorum Histor. Eccles.* coævorum Sanctorum Paulini, Honorati, Hilarii, & magnorum Virorum Salviani, Mamerti, Claudiani, Sidonii &c. amicitia & laudibus celebrabatur: ante Annum 441. ascendit Cathedram Metropolis Lugdunensis, circa 450. vitam sanctam pari morte clausit:

Eruditionum Liber est idem, qui *duo Libri Instructionum* de Quæstionibus difficilioribus V. & N. Testamenti ad Salonium alterum è filiis suis, eúmque Episcopum scripti: tertium similem Librum pro Scripturæ Sacræ intelligentia misit filio suo Verano etiam Episcopo. Quos Libros SALVIANO è Colonia nostra oriundo, sed Marsiliensi Presbytero ipsus misit, & ab eodem Salviano insigne Encomium tulit. Impressi extant in Bibliotheca Colon. SS. Patrum Tomi V. part. I. à pag. 756.

CODEX 83. alt. 9. lat. 8. Unc. CASSIODORUS Senator de Orthographia ex Veteribus Grammaticis collecta, putà ex Martyrio Adamantio de mediis & ultimis syllabis, tum ex aliis variis Grammaticis. Liber Sæculi 9. vel 10mi.

CODEX 83. alt. 16. lat. 12. In fronte Libri: Codex S. Petri scriptus sub pio Patre HILDEBALDO Archi-Episcopo. DIONYSII exigui de *Communibus & Embolimæis annis*: igitur Sæculi octavi aut noni nascentis Codex est.

NOTA

NOTA XXXV. *De Operibus Dionysii Exigui.*

Codex LXXXII. DIONYSII Exigui quædam nobis exhibet: Viri natione Scythæ, Professione Monachi & Abbatis Romani Monasterii, græcè & latinè periti. Florebat initio Sæculi sexti, Cassiodoro Senatori coævus, & laudatus. Cyclum suum Paschalem ab Anno Christi DXXVII. *Olybrio Solo Coss.* orditur; judicibus *Petavio* & *Bucherio*. OUDINUS, & alii anno antecedente inchoatum ponunt. Geminam ejus Epistolam *de Ratione Paschæ* scriptam *PETAVIUS in Appendice Tomi II. de Doctrina Temporum edidit*; uti & S. PROTERII Alexandrini Episcopi ad LEONEM PP., quam Dionysius de Græca Latinam fecit.

CODEX 84. alt. 19. lat. 12. Codex Sæculi XII. In Expositione Beati Job Moralia GREGORII Papæ Beatissimi per contemplationem scripta sive subscripta Libri quinque. Pars prima: incipit Prologus Explanationis in Sancto Job. *Hæc omnia uncialibus literis.* Incipit in expositione Beati Job Moralia Gregorii per contemplationem subscripta. Pars secunda Libri quinque. Deo gratias Amen. *Explicit Liber decimus. Pars secunda.* Hic Sanctus Gregorius Papa Ecclesiæ Romanæ hanc partem tertiam super Librum Beati Job, qui dicitur Moralia in prolixo opere ostendit. *Hæc omnia uncialibus literis.*

NOTA XXXVI. *De Operibus editis & Vita S. Gregorii PP.*

S. Gregorii Magni Opera, accuratissimâ Operà edidêre Clarissimi Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri Tomis IV. Parisiis 1705. quorum crisin tum Præfatio Generalis, tum Notæ & Præfationes ad singula Opera adjectæ commonstrant.

Natus est Romæ Patre Gordiano Senatore; à PELAGIO II. P.R. S.R.E. Diaconus creatus & Apocrisarius mittitur Cpolim ad Mauritium Augustum Anno 582. Anno 590. successit eidem Pelagio in Cathedra S. Petri, consecratus 3. Septembris, quam tenuit annis XIII. menses 6. dies 10. usque ad 12. Martii Anni 604. quo ad Cœlum abiît.

Opera Sanctissimi Gregorii à Cod. nostro 84. ad 96. recensentur. Codices 97. & 82 *b* Paterii Discipuli S. Gregorii excerpta habent, quæ Benedictini *in quartum Tomum Gregorianorum Operum* rejecerunt, cum Vita S. Gregorii per Joannem Levitam scripta, & nostro codice 96. legenda.

CODEX 85. alt. 13. lat. 9. Incipit doctrina Dogmatis Ecclesiastici secundum Nicænum Concilium, dein Homiliæ S. Gregorii in Evangelia. Incipit = Credimus unum esse Dominum Patrem Filium & Spiritum Sanctum. Finis = *Quid autem est solvere Jesum, nisì humanam ab Eo separare naturam, & Sacramentum Divinum, per quod salvati sumus.* Refertur in Appendice Tomi III. à Benedictinis Operum S. Gregorii M.

CODEX

CODEX 86. alt. 14. lat. 10. Unc. Expositio GREGORII Papæ in Evangelia, mutila in principio & in fine. Præfert Liber in principio numerum Anni MCXXI. Unde videtur Sæculi XII.

CODEX 87. alt. 10½ lat. 8. Incipit Liber *Sacramentorum de Circulo Anni expositus à S. GREGORIO Papa*, in fine variis manibus varia addita sunt, & Liber mutilus, videtur Sæculi 10. aut 11mi.

CODEX 88. *d* alt. 11. lat. 9½ Incipit Liber *Sacramentorum* de Circulo Anni à S. GREGORIO editus. Characteribus quadratis in primo folio, in secundo & tertio rubro deauratis. Sæculi decimi.

CODEX 89. alt. 11. lat. 8. Præmisso indice sequitur *Liber Pastoralis* GREGORII Papæ hoc initio = Pastoralis Curæ me pondera fugere delitescendo voluisse benignâ Frater charissime atque humillimâ intentione reprehendendum. Continet Capitula 60. Liber Sæculi 14ti.

CODEX 90. alt. 11½ lat. 8½ Continet *Dialogos* GREGORII Papæ Libris quatuor, deinde *Liber Regulæ Pastoralis* N^ro 124. olim notatus. Sed hic nitidiore calamo scriptus. Liber Sæculi 15ti, ut notatur in fine hoc modo = *Expliciunt Pastoralia B. Gregorii Scripta per ma-*

nus

nus Dni Theodorici de Alckmaria ſtudentis in Colonia Anno 1459.

CODEX 91. alt. 10. lat. 7½ Continet Canones & Decreta S. GREGORII Papæ ad varios. Liber Sæculi 15ti.

NOTA XXXVII. *In Regiſtrum S. Gregorii Papæ.*

Codex 91. 92. 93. 94. 95. continent Libros XII. Epiſtolarum, quas *Regiſtrum* compellamus, in iis reperies ferè univerſum Jus Canonicum Sæculi ſexti exeuntis & ſeptimi naſcentis Chriſtiani; Ea, quæ Libro 2do, 28va numerabatur Epiſtola *de Privilegiis S. Medardi Monaſterio Sueſſionenſi conceſſis*, à Benedictinis rejecta fuit in appendicem, cujus Epiſtolæ corruptelas & falſitatem jam PERRONIUS, SIRMONDUS, LAUNOIUS, aliíque notaverant; habuit tamen novum Hyperaspiſten.

CODEX 92. alt. 16. lat. 11½ In fronte Libri: Codex S. Petri ſub pio Patre HILDEBALDO ſcriptus. Continet Capitula Epiſtolarum B. GREGORII Papæ. Ergo Sæculi octavi.

CODEX 93. alt. 16. lat. 11. Incipiunt Capitula Epiſtolarum GREGORII Urbis Romanæ Papæ. In fine: Expliciunt Capitula Epiſtolaris B. Gregorii ſub pio Patre HILDEBALDO ſcriptus, atque BEATO VICTORI traditus. Igitur Sæculi octavi.

CODEX 94. alt. 15. lat. 10. Epiſtolæ GREGORII Papæ Imi. Sæculi x. vel XI.

CO-

CODEX 95. alt. 13½ lat. 8. Unc. Epiſtolæ S. GREGORII Papæ. Sæculi XI. vel XIImi.

CODEX 96. *a* alt. 13. lat. 10. Continet JOANNIS LEVITÆ Libros 4. de Vita S. GREGORII Papæ.

CODEX 96. *b* Item excerpta de Opuſculis B. Gregorii. Finis = *Per ferrum enim mala adverſantia penetrat, per æs, bona quæ propoſuit, longanimiter ſervat.* Sæculi XIII.

CODEX 97. alt. 11½ lat. 8. In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis, incipit Liber Teſtimoniorum Veteris Teſtamenti, quem PATERIUS de Opuſculis S. Gregorii Papæ Urbis Romanæ cum ſummo ſtudio excerpi curavit. Liber Sæculi XI.

CODEX 82. *a* B. Paterii Diſcipuli S. Gregorii in expoſitione V. Teſtamenti, tres Libri primi in Geneſin, Exodum, Leviticum, excerpti è variis Libris S. Gregorii PP.

NOTA XXXVIII. *De S. Paterio.*

Codices 96 *b* 97. & 82 *a* ſervarunt nobis *Paterium* Romanæ Eccleſiæ ſub Gregorio Magno Notarium & Secundicerium, cujus à Gregorianis Operibus excerpta teſtimonia ipſo Sanctiſſimo Pontifice adhortante & comprobante, hactenus manca, inte-

gra primi ediderunt Laudatissimi Monachi Benedictini Congreg. S. Mauri Tomi IV. Operum S. Gregorii parte II... Iidem præter Vitam à Joanne Levita scriptam nostro Cod. *96.* contentam, Vitam Gregorianam à Paulo Diacono Sæculo octavo concinnatam, tertiam denique chronologicè digestam, & à se ex Operibus jam editis collectam emiserunt primâ parte Tomi IV. Operum S. Gregorii.

CODEX 98. alt. 10½ lat. 8. Unc. Commentarius ISIDORI in Pentateuchum, Josuam, Judicum, Librum primum Regum & secundum mutilus. Liber Sæculi 13tii.

NOTA XXXIX. *De S. Isidori Vita & Libris.*

De S. Isidoro Hispalensi habemus Codices quinque *98. 99.* 83*b*, 100, 101. Est hic Doctor Sanctus sollicitè discernendus ab *Isidoro Mercatore* seu Peccatore itidem Hispano, de quo in Classe IV. multus sermo erit. Hic, cujus Opera Coloniæ excusa fuerunt Anno 1617. Natus fuit in Provincia Carthaginensi, Hispalensis in Bætica Archi-Episcopalis Ecclesiæ Pastor fuit annis XL. nempe ab Anno Christi 595. ad Annum 636, Æræ Hispanæ [quæ Christianam 138. annis antecurrit] 874. die IV. Aprilis MARIANA, BARONIUS, POSSEVINUS, VOSSIUS, LABBEUS, DUPINIUS copiosam crisin ejus in Opera ediderunt.

In Codicis 83 *b* inscriptione dicitur *Junior* hic Hispalensis, ut discer-

diſcernatur ab Iſidoro Hiſpano, item Cordubenſi Epiſcopo, & Commentatore Librorum Regum, qui HONORIO & THEODOSIO II. imperantibus florebat.

Huic igitur Hiſpalenſi Chronicon vindicat & attribuit GARSIAS DE LOAISA Canonicus Toletanus ejuſdem editor & emendator, diſſentiente Bellarmino, quanquam ſuperſit & aliud Chronicon breve, quod ab Iſidoro Pacenſi Epiſcopo, qui Iſidorus Junior etiam audit, ſcriptum fuit.

Iſidori de Divinis Officiis binos, & antiquiſſimos Codices dedit mutuos Hittorpio Metropolitana Noſtra Bibliotheca: Gratus id teſtatur in Præfatione Anni 1568. Unus nunc ſupereſt. AMALARIUS, quem ex eadem commodatum habuit, non eſt ſuper.

CODEX 99. alt. 9½ lat. 7. Unc. In Nomine Domini Summi. Incipit Liber S. ISIDORI Procemiorum (id eſt Præfationum) de Libris Novi & Veteris Teſtamenti, eâ plenitudine, quam *in Canonica Catholica recipit Eccleſia juxta vetuſtam Traditionem.* In eodem Codice Liber Teſtimoniorum S. ISIDORI. *Caput primum* de diebus, *Caput quadrageſimum ſextum* & ultimum de Monte Etna, & partibus terræ. Incipiunt differentiæ Iſidori Epiſcopi. *Liber Sæculi* 10. *vel* 11.

CODEX 83 *b* Chronica ISIDORI Junioris. *Hildebaldinum Volumen.*

CODEX 100. alt. 15. lat. 10. Continet ISIDORI

 Libros

Libros de Summo Bono & diversis Documentis. Sæculi x. vel xi.

CODEX 101. alt. 13. lat. 9. Continet ISIDORUM *de Divinis Officiis*, incipit = *Domino meo & Dei Servo Fulgentio Episcopo Astigitano post Carthaginensi, Fratri suo, Isidorus Episcopus*: Finit = Ut sermo noster paternis Sententiis firmetur. Liber Sæculi x.

CODEX 102. alt. 12. lat. 9½ Continet hic Liber Doctrinam temporum, in initio mutilus est. Videtur Sæculi 9ni & BEDÆ. In medio videtur esse alia manus, & Capitulum incipit, *de sex Sæculi hujus ætatibus*, finis = *de sex hujus Mundi ætatibus, ac septima vel octava quietis vitæque cœlestis, & supra in comparatione primæ hebdomadis, in qua mundus ornatus est, aliquanta perstrincimus*. Sæculi 10. vel 11. *videtur mancus*.

NOTA XL. *In Bedæ Libros.*

De Venerabilis Bedæ Literariis Monumentis quinque Volumina Ms. nostram ætatem attigerunt: 102. 103. 83. *c* 104. 105. notatis. Opera ejus omnia edita fuerunt Coloniæ 1612. Sumptu *Hierati & Gymnici*, *Tomis octo in Folio*.

Beda Britannus ex Anglo-Saxonum Gente nascitur Anno 673. à teneris annis Monachum induit, S. Benedicti institutum Professus. Obiît Anno 735. 16. Maji, de quo Scriptores veteres Angli,

Angli, & Germani, Belgæ, Franci, magna encomia congesſerunt. PITSEUS, GUILLELMUS CAVE Opera enumerant & recenſent.

In iis, quæ de Computo Eccleſiaſtico & Chronologicis ſcripſit *Beda*, USSERIUS ARMACANUS, SCALIGER, PETAVIUS, & BUCHERIUS inſpiciendi & conſulendi.

CODEX 103. *a* alt. 12. lat. 8. Codex S. Petri ſub pio Patre HILDEBALDO ſcriptus. Continet BEDAM de Temporum ratione.

CODEX 103 *b* Præmittitur Cyclus Lunæ & Solis expanſus. Sequitur Calendarium cum rariſſimis Sanctis. Subjunguntur viginti Cycli Dionyſiani cum Indictionibus, Epactis, Solis & Lunæ, & die Paſchali, ab Anno Chriſti 532. ad Annum Chriſti 1063. tum Beda de Computo & de Sex Ætatibus Mundi. Liber Sæculi 8vi.

CODEX 83. *c* BEDA de Computo. Ejuſdem Sæculi VIII. Liber.

CODEX 104. alt. 13. lat. 9. Commentarius BEDÆ in Epiſtolas Pauli uſque ad Commentarium in Epiſtolam ad Theſſalonicenſes, qui mutilus eſt in fine. Sæculi XI.

CODEX 105. alt. 12. lat. 9. Expoſitio BEDÆ in Parabolas Salomonis. Eouſque = *Fallax gratia & vana pul-*

pulchritudo, laudent eam in portis opera ejus. Liber Sæculi 13tii.

CODEX 106. alt. 13. lat. 9. ALCUINI ad ARNONEM Episcopum Salisburgensem Commentarius in Psalmos cum variis Orationibus. Cum dictis Bedæ.

NOTA XLI. *De Alcuino.*

Quatuor sequentes Codices 106, 107, 108, 109. ad Albinum seu Alcuinum spectant. Est hic, uti Beda, natu Britannus, sed de Germania, Francia, Italia tam præclarè meritus, quàm de sua Patria Beda. A CAROLO enim Magno circa annum 790. evocatus non solùm studiis tanti Regis, Literariæ Rei in Occidente Restauratoris ac Promotoris munifici interfuit, & præfuit, verùm & Catholicam Fidem, & Sacræ Scripturæ intelligentiam, & Sacræ Theologiæ & Liberalium Artium & Historiæ modis omnibus illustrandæ docendæ & discendæ Princeps & Dux fuit suo Sæculo; ideóque Regi Carolo carissimus Perfamiliaris, multis Monasteriis Præfectus, celebrandis Synodis Consiliarius & Doctor adhibitus. Sancto fine vitam illustrem clausit die Pentecostes, quæ erat 19. Maji anni 804.

Angli Historiographi *VVILHEL. MALMESBURIENSIS, ROGERIUS HOVEDENUS, MATTHÆUS VVESTMONASTERIENSIS, PITSEUS, GUILLIELMUS CAVE,* tum Franci & Germani Scriptores Personæ laudandæ, & Ms. edendis insudarunt certatim.

CODEX

CODEX 107. alt. 14. lat. 10. Continet Tractatus ALBINI Magistri, in prima parte Joannis Evangelistæ. Ultimus versus est = Et *scio, quia mandatum ejus vita æterna est.* Dicatus est Liber Devotissimis & Deo dicatis Virginibus ZYSLÆ SORORI & RICHTRUDÆ FILIÆ. Videtur Liber Sæculi IX. & coævus Authori. Titulus est literis uncialibus scriptus.

CODEX 108. alt. 13½ lat. 10. Idem qui supra, sed primæ Præfationis ad ZISLAM & RICHTRUDAM initium deest, deinde Commentarius totus est, usque ad ultimum Caput Joannis. Duo ultima folia ambesa. Videtur Sæculi X.

CODEX 109. alt. 14. lat. 9. Commentarius in Evangelium S. Joannis constans quinque Libris prioribus (nam VII. scripsit ALBINUS) deest unum aut alterum folium in initio = Finis = *Via querentibus, Veritas invenientibus, Vita permanentibus.* Est Albini juxta inscriptionem.

CODEX 71. *b* PASCHASII RATBERTI de Sacramento Corporis & Sanguinis D. N. J. C. ad Placidum Liber. Sæculi XIII.

NOTA XLII. *In Libros & Orthodoxiam Paschasii.*

Codex 71. *b* servavit Nobis Librum de Sacramento Corporis

&

& Sanguinis D. N. J. C. *ad Placidum* multiplici typo recuſum, & multarum Controverſiarum Materiam, ſed Catholicum eſſe Doctorem, & de Sacramento Euchariſtiæ, Catholicæ Doctrinæ conſentire, Catholici jam dudum demonſtrarunt contra Sacramentarios Hæreticos. Legendus *NATALIS ALEXANDER Diſſert. X. in Sæculum nonum Chriſtianum.* Vindex ſtrenuus Orthodoxiæ Paſchaſii. Obiît Anno 851. die 26. Aprilis, Abbas Cœnobii Benedictini, S. Petri Corbeienſis ad Somonam in Diœceſi Ambianenſi. Vide *JACOBUM SIRMONDUM & CELLOTIUM, LABBEUM in Diſſert. Hiſtorica de Script. Eccleſ.* Coloniæ excuſus hic Liber in Bibliotheca PP. Colon. Anni 1618.

CODEX 110. alt. 12. lat. 8. RABANI MAURI Libri tres *de Inſtitutione Clericorum* ad HAISTOLPHUM Archi-Epiſcopum. Liber Sæculi 10. vel 11.

NOTA XLIII. *De Rhabano Archi-Epiſcopo Moguntino.*

Hic RHABANUS MAGNENTIUS MAURUS, plurimis Scriptis editis Clariſſimus, quos omnes Coloniæ 1627. Antonius Hieratus VI. Tomis in folio edidit, nunc rariſſimos, cum plura ſingulari Typo ex Rhabanianis Operibus Coloniæ ante excuſa fuiſſent, puta *Commentarii in Geneſin, & Exodum Libri VIII. Anno 1532. Typo Joannis Präel:* Eodem Anno & Typo prodierunt *tres Libri de Clericorum Inſtitutione ad Heiſtulphum,* qui Anno 826. V. K. Januarii è vivis abſceſſit.

Natus

Natus Hrabanus Fuldæ [ut Epitaphium docet] non Moguntiæ (etsi *Labbeus* id ex Epitaphio etiam liquere affirmet) in Patria Urbe Regulam S. Benedicti professus, in Galliis & fortè an Parisiis, aut Turonibus ALBINUM Magistrum sacræ & profanæ Scientiæ nactus dignum se tanto Duce ostendit. Fuldam reversus, Doctrinâ & Sanctimoniâ illustris, Scholam celeberrimam, multorum post Prælatorum parentem, moderatus est; Abbas creatus anno 822. ad 842. ducentorum & septuaginta Monachorum Pater, quorum nonnulli causati Rabanum, quasi nimis addictum scripturis, ac temporalia negligentem, Monasterio abire coegerunt: unde ad Ludovicum Pium gratissimus hospes venit, & defuncto OTGARIO Moguntino in Cathedram ejus sufficitur anno 847, in qua tres Synodos celebravit: Secundæ, contra GOTTESCALCUM & Prædestinatianos celebratæ, interfuit & subscripsit HATTABALDUS noster Archiep. Obiît anno 856. *Brovverus Rerum Maguntiacens. Lib. V.* Ejusdem Allegorias in universam Scripturam habet Codex membranaceus Collegii Coloniensis S. Jesu.

CODEX III. alt. 12½ lat. 10. Unc. Continet Apocalypsin S. Joannis, & Expositionem HAYMONIS in eandem. Quæ incipit = Legimus in Ecclesiastica Historia. Finis = *Unde & Paulus more hujus locutionis suas Epistolas Ecclesiæ ordinavit, ut à Gratia inchoaret, & in Gratia terminum poneret.* Liber scriptus variâ manu Librariorum inter Sæculum 8. & 10mum.

NOTA XLIV. *De Haymone, sæpius Coloniæ edito. Vitæ Compendium.*

Codex CXI. Haymonis Episcopi Halberstadiensis, Rabano coævi, & sub Alcuino in Turonensi Cœnobio Condiscipuli, interpretationem in S. Joannis Apocalypsin ad Nos transmisit, cum ejusdem Homiliæ ex Mss. Coloniensibus 1534. 1540. in Psalmos explanatio, quam *veluti spiritualis Aquila ex omnium Veterum hortis ac pratis florentissimis decerpsit*, Coloniæ, Anno 1533. 8vo In Esaiam Lib. III. Anno 1531. excusæ fuissent prælo Colon. in 12mo, in Prophetas & Cantica Canticorum, Anno 1533.

Haymo natus Anglo-Saxo, Venerabilis Bedæ Nepos, circa 778. lucem vidit. Alcuinum Magistrum circa 791. ex Anglia Turones in Francia adiit, & cum Rabano ejusdem cellæ contubernalis Magistrum audiit: Hinc Fuldam profectus, habitum S. Benedicti induit, & cum Rabano Romam denuo audiendi Alcuini causâ profectus, sexennium tanto Doctori in Urbe operam dedit: revocati ambo ab Abbate Fuldensi fuêre: Haymo 150. Fuldensibus, dein Corbeiensibus, demùm Hirschfeldensibus postulatus Magister Theologiam explicavit. Anno 840. ab LUDOVICO Germaniæ Rege nuncupatur Halberstadiensis Episcopus. Ecclesiam Cathedralem & Scholam publicam & Bibliothecam instituit; in iisque Verbo Divino prædicando, docendo, interpretando Canonicos suæ Ecclesiæ, & universam Diœcesin illustravit. Scripsit Commentarios in Biblia, Homilias, & Eusebiani Chronici Compendium fecit.

Synodo Moguntinæ Anno 848. contra Gotteſchalcum interfuit & ſubſcripſit. Obiît magnâ Sanctimoniæ & Doctrinæ famâ Anno 853. 27. Martii. Hæc ex Clariſſimi Viri Samuelis Lentzens *Hiſtoriâ Diplomaticâ Halberſtadienſi* excerpſimus, Anno 1749. Hallæ impreſſa: & Reverendiſſimi ac Sereniſſimi D. S.R.I. Principis Joſephi Hohenloio-Pfedelbachii, Metropolitanæ Noſtræ Canonici Capitularis, dono mihi communicatâ. Quod Gratitudinis ergo taceri non decebat.

CODEX 62. *d.* REMIGII ex Autiſſiodorenſi Monacho Remenſis Archi-Epiſcopi (qui extremo Sæculo nono vixit) Commentarii in omnes Davidis Pſalmos: excuſi Coloniæ Anno 1536. & in Bibliotheca Colonienſi Veterum PP. recuſi Anno 1618. *Tomo IX. parte II.*

NOTA XLV.

In Cod. *62. d.* extat Commentarius in Pſalmos Davidicos, Remigio Autiſſiodorenſi demum vindicatus à TRITHEMIO & LABBEO, nam ante tribuebatur S. Remigio, qui Sæculo VI. extremo CLODOVEUM baptizavit. Fuit poſt FULCONEM Archi-Epiſcopus Remenſis Eccleſiæ circa 899. ad cujus Eccleſiæ Scholas regundas ante evocatus fuerat ex Cœnobio Benedictino S. Germani. *LABBE Diſſert. Hiſtoricâ de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

CODEX 112. alt. 10. lat. 7. RUPERTI Abbatis de Glorificatione Trinitatis. Dedicatus Beatiſſimo Petro.

Post Dedicationem sequitur Index Capitum Librorum octo. Liber Sæculi 13tii.

NOTA XLVI. *De Ruperto Tuitiensi.*

Ex tot Ruperti Tuitiensis Abbatis Operibus, quorum accuratissimum Catalogum GERBERONUS ejusdem Hyperaspistes edidit, unum nobis Ms. servat Codex CXII. *de Glorificatione Trinitatis*. Rupertus ex Benedictino Asceterio Leodiensi Celeberrimo sub Titulo S.Laurentii, à Friderico A. C. ob Doctrinæ & Sanctitatis famam evocatus, præficitur Cœnobio Tuitiensi ejusdem Ordinis circa 1126. in quo vitam clausit beato fine Anno 1135. 11. Nonas Martii. Encomia ejus populares & exteri celebrârunt, *Biographus Virorum Scriptorum Cœnobii Laurentiani Leodii, TRITHEMIUS, MATTHIAS AGRITIUS, Illustriß. GELENIUS de Col. A. magnit. Lib. III. Syntag. XIV.*

Coloniense prælum ejusdem Opera variis annis varia emisit publico bono.

CODEX 78. *b.* PETRI BLESENSIS super Jobum Compendium, sive Explanatio in duo priora Capita Jobi.

NOTA XLVII. *Ætas Scriptoris.*

Petrus Blesensis primùm Parisiensis Episcopi familiaris, dein ex Canonico Bituricensi, Ecclesiæ Bathoniensis in Anglia Archi-Diaconus, ac subin Londinensis & Cantuariensis Archi-Episcopi Cancellarius circa 1200. vitâ functus existimatur. Ejus Opus unum, nempe Explanationem in Job Codex 78. præter alia Nobis transmisit.

CLASSIS

CLASSIS TERTIA.

JUS ECCLESIASTICUM ANTIQUUM.

CODEX 113. alt. 20. lat. 12. Unc. Continet *Decretales Pontificum* à DAMASO Papâ ad HADRIANUM, deinde aliquot *Canones* Conciliorum Generalium Ephesini, Chalcedonensis, Constantinopolitani secundi. Liber scriptus jussu S. HEREBERTI Archi-Episcopi, qui sedit ab Anno DCCCCXCIX. ad MXXII.

CODEX 114. alt. 17. lat. 15. Continet *Decretales* à CLEMENTE Papa ad S. GREGORIUM MAGNUM. Optimæ notæ Liber.

CODEX 115. alt. 15. lat. 11. In Nomine Domini, incipiunt Tituli Canonum, Apostolorum. Canonum Concilii Ancyrani, XXIIII. Neocæsariensis, XIIII. Gangrensis, XX. Antiocheni, XXV. Laodicææ Phrygiæ, LVIIII. Apud Constantinopolim, III. Chalcedonensis, XXVII. Sardicensis, XXI. Apud Carthaginem, XXXIII. Diversorum Conciliorum *Africanæ Provinciæ*, CV. *Decreta Pontificum*, SIRICII, numero XV. INNOCENTII, LVII. ZOSIMI, III. Bonifacii, IIII. Cælestini, XXII.

Leonis XLVIII. Hilarii, VI. Simplicii, II. Felicis, I. Gelaſii, XXVIII. Anaſtaſii, VIII. Symmachi, V. Felicis, III. Gelaſii, VIII. Hormisdæ, IV. Gregorii Junioris ſeu II. qui obiìt DCCXXXI. Decreta XVII. Codex ſcriptus ſub pio Patre HILDEBALDO Archi-Epiſcopo.

CODEX 116. alt. 14. lat. 9½ continet *Canones Apoſtolorum*, *Conciliorum* Nicæni, Cæſarienſis, Gangrenſis, Antiocheni, Laodicenſis, Regulas Concilii Conſtantinopolitani. Textus Chalcedonenſis Concilii, Canones Sardicenſ., Canones Concilii Carthaginenſis. Incipiunt Canones Conciliorum diverſorum Africanæ Provinciæ. Codex Sæculi IX. aut VIII.

CODEX 117. *a.* alt. 12. lat. 9. continet Eccleſiaſticas Regulas Ss. Apoſtolorum, numero quinquaginta. Sequitur Conſtitutio & Fides Nicæni Concilii, continentis Canones viginti. Sequuntur Canones Ancyrani XXIV. Neocæſarienſes XIV. Gangrenſes XX, & cœteri, uti Codice 115. Sequuntur Africana Concilia, deinde incipit de Ordine Pœnitentium.

COD. 117. *b. Sequitur Dialogus* de Canonibus & variis Eccleſiaſticis ceremoniis, ex variis Patribus collectus.

CODEX

CODEX 117. c. *Liber primus Canonum antiquorum*, & Ordo Pœnitentium. Videntur Sæculi decimi: quæ sequuntur Ecclesiastica, videntur post Sæculum decimum scripta.

COD. 117. *d.* In fine adnexa est Synodus Ticinensis anni 868. *pro causa Gunthari*, depositi à Papa, cum Epistola Synodica ad PP. Nicolaum, hactenus inedita. Eandem Synodum fuisse habitam hoc anno, consequens est ex Epistola Nicolai I. PP. LXXIVta, scripta ad Episcopos in Regno Ludovici constitutos, pridie Kalendas Novembris ejusdem anni, qua reprehendit eos, quod Theutgaudum, & Guntharium suis Gradibus restitui cuperent: qui revera est finis Synodi hujus Ms. Videatur *Natalis Alexander ex Ordine Prædicatorum, clarissimus Crites, Sæculi noni Christiani Dissertatione IX. de Divortio Lotharii & Theutbergæ.*

NOTA XLVIII. *De Collectoribus Canonum Ecclesiasticorum primo Millenario.*

Post Fidei Dogma in Scripturis Sacris contentum, post Fidei Dogma non scriptum, sed Traditione perenni Ss. Patrum in & extra Concilia ad nos transmissum [quæ in prima & secunda Classe digessimus] progredimur ad Canones, seu Regulas Ecclesiasticas, quibus Ecclesia Christi regitur, & in Ordine Hierarchico conservatur.

Hi

Hi Canones à diversis Episcopis & Conciliis, tum Oecumenicis, tum Minoribus, in Ecclesiis Orientalibus, Africanis, & Europæis successu temporum editi, in unum Corpus redigi cœperunt, quarto & quinto Sæculo.

Id ipsum testatur DIONYSIUS EXIGUUS, origine Græcus, sed Incola & Abbas Romanus, sub Justiniano Imp. florens & scribens, & primus *Nomine* Nobis notus Collector Canonum, qui præfatus suæ Collectioni, testatur *priscam translationem latinam* Canonum Græcorum longè ante sua tempora in Occidente fuisse; sed ejusdem translationis *Confusione*, seu Obscuritate Scribentium, nescio quam, à se postulâsse iteratam, nempe clariorem Canonum Græcorum translationem in Latinam linguam: quod demum præstitit, & CXXV. Canones collegit. Puta, præter Canones, qui dicuntur Apostolorum L., Concilii Nicæni XX., Dein Synodorum, ante & post Nicænam celebratarum, Ancyrani Concilii Canones XXV., Neocæsariensis XIII., Gangrensis XX., Antiocheni XXV., Laodicæni LIX., Constantinopolitani III., Universim Corpus Canonum Orientalis Ecclesiæ CLXV.

His post ab alio additi Canones Græci, Cpolitani III., Ephesini Concilii VIII., Chalcedonensis XXIX., quos omnes, simul CCVII. *Justellus* Græco-Latinos edidit, & *Codicem Canonum Ecclesiæ Universæ* nuncupavit. Contradicente *SCHELESTRATE*, *Antiquitatis illustratæ* parte II. Diss. II. Cap. VIII.

Dein Dionysius idem Statuta Sardicensis Concilii, & *Africanorum diversorum Conciliorum*, apud Carthaginem, seu Canones Lati-

Latinos CXXXVIII. collegit. Hæc *Collectio Canonum Dionysii Exigui* vocatur, & à Conciliorum Editoribus primo loco merito collocatur. Idem Testibus *Justello*, *Schelestrateo*, *Holstenio* edidit *Decretales Literas* Romanorum Pontificum octo, puta SIRICII, INNOCENTII, ZOSIMI, BONIFACII, CÆLESTINI, LEONIS, GELASII & ANASTASII, videlicet ab Anno Christi 385. - ad 494.

Post hunc Dionysium alii atque alii Collectores Canonum exstitêre, iique semper auctiores tum Græci, tum Latini Scriptores; *Joannes Scholasticus* in Oriente, *Fulgentius Ferrandus* in Africa, *Martinus Bracarensis* in Lusitania, HADRIANUS Papa, *& Romanæ Ecclesiæ Collectio Canonum* CAROLO MAGNO transmissa, quæ ex Ms. Codice, *Moguntino Typo*, prodiît Anno 1525.

Eadem in *Bibliotheca Juris Canonici* recusa fuit *Tomo I.* hoc Titulo: „ *CODEX CANONUM ECCLESIASTICORUM DIONYSII EXIGUI*, sive Codex Canonum „ Vetus Ecclesiæ Romanæ, ab Hadriano Papa I. Carolo M. Romæ quondam oblatus, hac postrema editione à mendis expurgatus, *Parisiis*, 1661. per Justellum & Voellum editus. *SCHELESTRATE Antiq. illustr. part. II. Diss. II. C. X.*

Et hæc Editio Dionysiana Canonum, inest tribus Codicibus 115. 116. 117. nostræ Bibliothecæ, in quibus Versiones Latinæ Canonum tum Apostolicorum, tum Nicæni & alii Græci sunt à Dionysio Exiguo, uti HARDUINUS eos edidit, non ex Versione *Gentiani Herveti*, nec ex Versione *Isidori Mercatoris*,

quas Harduinus etiam edidit, ut discrimen interpretationis Dionysianæ, & Isidorianæ omnibus appareat. Unde iterum Antiquitas horum trium Codicum demonstratur.

NOTA XLIX. *Isidori Mercatoris Collectio Canonum.*

Inter Collectores Dionysio posteriores celebrior extitit Hispanus Scriptor sub Nomine ISIDORI MERCATORIS vel PECCATORIS Sæculo Octavo adulto florens (adeóque certò alius à S. Isidoro Hispalensi) qui Collectionem Canonum Dionysianâ longè ampliorem adornavit circa A. C. 775. quam in Germaniam primus intulisse videtur RICOLPHUS defunctus 814. Archi-Episcopus Moguntinus, unde ex hac Collectione *Isidoriana*, multa in *Capitularia Francorum* ab *Ansegiso* derivata legimus Decreta & Canones ante eam diem ignorata.

Collectionem Isidorianam, quæ à Canonibus Apostolorum & Decretalibus CLEMENTIS I. PP. perducitur usque ad GREGORIUM MAGNUM, in quo desinit, genuinam edidit JACOBUS MERLINUS Doctor & Pœnitentiarius Ecclesiæ Parisinæ: Anno 1524. *Parisiis*, *duobus Voluminibus*, quæ sexennio post Coloniæ *Typo Quenteliano* recusa fuit Anno 1530. additis paucis Epistolis Pontificum Gregorio Magno posteriorum. Eadem Collectio secundâ vice *Coloniæ* prælum subiît Anno 1538. adjuvante PETRO CRABBE *Machliniensi Franciscano de Observantia.*

LAURENTIUS SURIUS Cartusiæ Coloniensis Lumen, *tertio prælo Coloniensi* eam Collectionem vulgavit, jam quinque Voluminibus auctam. SEVERINUS BINIUS Metropolitanæ

litanæ Noſtræ Canonicus Presbyter multis titulis eximius, Anno 1606. quinque Voluminibus Iſidorianam Collectionem ſemper auctiorem *Coloniæ* publicavit. Idem demum Anno 1618. novem Voluminibus locupletatam Iſidorianam quintùm emiſit.

Codices noſtri CXIII. CXIV. Iſidoro Mercatore poſteriores ſunt, ejúsque Decretales continent, adeóque ſub A. C. 800. aut paulò poſt ſcripti fuêre.

NOTA L. *Judicia Criticorum de utraque Collectione.*

Dionyſiana Collectio Canonum Græcorum, Latinorum, & Epiſtolarum Pontificiarum genuina legitima eſt: & ab Eccleſia recepta, ac probata. Non verò eo ſenſu recepta eſt, quaſi extra eam nulla Concilia vel Canones recipiat Eccleſia; quo argumento negante *Baluzius* & *Launoius* quandoque abutuntur. Certum enim eſt Concilium *Eliberitanum*, *Arelatenſe primum & ſecundum*, *Romanum ſub Melchiade*, & plura alia in Dionyſiano Codice non extare, quæ Eccleſia univerſa tamen recipit.

Canones L. Apoſtolorum, quos Dionyſius præmiſit, non fuiſſe ab Apoſtolis conditos, concors eſt Eruditorum Sententia. Sunt tamen perantiqui, ante Synodum Nicænam noti; ex Epiſtola CONSTANTINI IMPERATORIS, in qua ad *Euſebium & Antiochenos ſcripta* eos laudat. Quare mediâ viâ incedens Illuſtriſſimus ANTONIUS AUGUSTINUS *Dialogo VI. de Emendatione Gratiani:* ſic eos abjudicat Apoſtolis, ut tamen ab Eccleſia Occidentali eos probari & recipi fateatur. *SCHELESTRATE Antiq. illuſt. p. II. diſſ. II. cap. I. n. 146. & ſeqq.*

NATALIS ALEXANDER Histor. Eccles. Sæculi I. dissert. XVIII. PAGI ad A.C. 100. n. IX. X. XI. docens, quo sensu Apocryphi dicti fuerint à Gelasio Papa. *TILLEMONTIUS* Tomo II. Commentarior. Ecclesiasticor. p. 165. ostendens, nec ab Apostolis, nec à Clemente I. PP. eos conditos fuisse.

Aliter sentiunt Viri Critici *de Isidoriano Opere*, quod ab 80. Episcopis & Servis Dei, in Hispania compellatus concinnavit. Hoc primum in Hispania, tum in Gallia teste Hincmaro; imò & in Italia receptum fuit veluti Genuinis ex fontibus haustum; cùm HADRIANUS PP. ANGILRAMO Metensi Episcopo inter varia Capitula Canonica quædam ex Isidorianis admixta traderet.

Post NICOLAUS PAPA in Germaniis & Galliis, & usque adeò in Oriente hanc Collectionem promovit.

Magna igitur fuit per VIII. Sæcula hujus Collectionis Autoritas, quâ GRATIANUS in Italia, RHEGINO, & BURCHARDUS in Germania, IVO in Gallia fidenter usi sunt.

NOTA LI. *De Decretalibus Pontificiis ante Siricium.*

Verùm inter multa bona quædam sublestæ fidei eidem Collectioni irrepserunt, nempe Decretales Epistolæ Pontificum Romanorum à CLEMENTE I. ad SIRICIUM. I, quæ quidem ex antiquis & bonis & Catholicis Libris sumptæ sunt, & consarcinatæ, sed suppositæ sunt non suis parentibus. Hinc quidquid *Binius* aut *Turrianus* pro iis vindicandis scripserint, habentur ab omnibus adulterinæ, & supposititiæ, etsi falsum contra fidei

fidei doctrinam nihil habeant. BARONIUS ad A. C. 530. n. 5. & Anno Christi 865. n. 8. PAGI *Critica Baronii* ad A. C. 100. à n. III. ad VII. DE MARCA, *de Concordia Sac. & Imper. L. I. C. IX.* PAPEBROCHIUS, *Conatu Chronico Historico Pontificum pag. 136.* SCHELESTRATE *Antiq. illustr. part. II. Dissert. III. C. V.*

Aliud est autem has Decretales esse *Erroneas*, quod *VViclefus* & *Magdeburgenses* scripserunt, aliud *Suppositititas*, quod Catholicorum Doctissimi profitentur.

Non omnes tamen Epistolæ Pontificum SIRICIO PP. anteriorum Supposititiæ sunt: certè genuina est CLEMENTIS Papæ I. ad Corinthios: S. CORNELII PP. ad CYPRIANUM, JULII I. apud Athanasium, LIBERII apud Hilarium, DAMASI ad Paulinum, apud Theodoretum, Autores probatissimos extantes, & laudatæ Epistolæ sinceræ sunt, & nequaquam ab Isidoro confictæ.

CODEX 118. alt. 12. lat. 10. Unc. Liber mutilus in principio. Continet Decreta Pontificum circa Episcopos & Presbyteros, quæ à RABANO videntur collecta, deinde ejusdem RABANI Epistolas ad OTGARIUM Archi-Episcopum Moguntiacensem, item ad HERIBALDUM Autissiodorensem Episcopum. Sequuntur Canones duodecim, deinde Capitula 38. *Synodi Wormatiensis* Anno 868. Indictione primâ 17mâ Kalendas Junii sub Excellentissimo REGE LUDOVICO. Subjunguntur Regulæ

Patrum, *quæ investigandæ sint à Magistris & Decanis Presbyteris, numero* 18. Incipiunt Capitula *de Judicio Pœnitentium.* Capitula *de diversis Causis.* Ordo in Agenda Mortuorum. Liber videtur Sæculi 9. vel 10mi.

NOTA LII. *De Conciliis Genuinis aut Suppositititiis.*

Ex Conciliis Isidorianis plurima sana & genuina sunt; pauca supposititia, indicat HARDUINUS in Conciliis editis anno 1715. *ex Typographia Regia, charactere minusculo,* quo à sinceris discriminat conficta, cujusmodi videtur Romana II. Sub Sylvestro anno Christi 324. judicibus *Papebrochio, Labbeo, de Marca, Schelestrateo,* aliisque Eruditissimis Criticis.

NOTA LIII. *De Canonibus Pœnitentialibus.*

Post Concilia & Pontificias Decretales sequuntur Canones *Pœnitentium,* tum ex illis Conciliis & Decretalibus excerpti & collecti, tum à diversis Episcopis, aliisve Scriptoribus in Ecclesia Catholica celebribus collecti, variis Sæculis. Hinc non omnium est æqualis Autoritas, nec omnes ab omnibus Ecclesiis recepti fuêre, sed pro temporum aut locorum discrimine diversis peccatis diversæ pœnæ & satisfactionum genera multifaria, & peccantium reconciliatio plena vel semiplena per Episcopos, Presbyteros, Diaconos diversimodè exercita fuit.

Veterum Græcorum PP. Canones de hac Materia videri possunt collecti à JOANNE ZONARA Monacho Basiliano, qui circa annum 1120. floruit: ex quo THEODORUS BALSAMO, Magnæ An-

Antiochiæ totiúsque Orientis Patriarcha ſub finem Sæculi XII. ſcribens, homo Schiſmaticus eoſdem mutuatus eſt, & auxit, & expoſitionibus ſuis illuſtravit.

JOANNES MORINUS Oratorii Presbyter *Commentario Hiſtorico de Diſciplina in Sacramento Pœnitentiæ adminiſtrando tredecim primis Sæculis* adjunxit Græcorum Libros Pœnitentiales, rituales pro reconciliandis peccatoribus publicis, occultis, ſanis, morientibus, *Pariſiis edito* anno 1651.

Idem ſtudioſiſſimus Criticus Latinorum vetuſtiſſimos Canones, & Libros Pœnitentiales eidem Commentario ſubnexuit.

CODEX 119. alt. 12½ lat. 11½ Unc. Continet Libros xx. de Eccleſiaſticis Ordinibus. Deeſt Liber primus, & ſecundi Libri deſunt CXCVI. Capitula. Videtur mutilus in fine. Libri III. initialia verba ſunt = *Eccleſia Græcum eſt, quod in Latino vertitur convocatio.* Sæculi XII.

COD. 85. *b.* Confeſſio Fidei ſecundùm Canones Nicæni Concilii.

CODEX 120. alt. 12. lat. 9. Hic habetur *Concordia Canonum Conciliorum infraſcriptorum per Præſulem Romanorum*, id eſt Canonum Apoſtolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæſarienſium, Gangrenſium, Antiochenſium, Laodicenſium, Chalcedonenſium, Sardicenſium, Carthaginenſium, *item Præſulum* Siricii, Innocentii, Zoſimi, Cæleſtini, Leonis,

&

& Gelasiii. Incipit ab Epistola CRESCONII ad Liberium. Liber Sæculi 13tii.

CODEX 121. alt. 11½ latus 8. Unc. Continet *Canones antiquos Ecclesiæ Libris tribus*, Liber primus continet Canones 121. Libri primi Canon primus = *Quod nulli ultima pœnitentia deneganda*, ex Epistola Cælestini Papæ ad Episcopos Galliarum. Liber secundus continet Canones 120. Liber tertius continet Canones 149. Sed in hoc Codice mutilus est, ultimus enim est Canon 106. Reliqui desunt. Liber Sæculi 10mi aut fortè anterioris.

CODEX 122. alt. 9. lat. 7. Continet *Libris duobus Canones antiquos*, Canon primus = Quod nulli sit ultima pœnitentia deneganda. Liber primus continet Capitula 122. Liber secundus continet Capitula 93. Nonagesimi tertii titulus est = De his, qui prohibentur Presbyteris in Ecclesiasticis Sacramentis agere. Liber Sæculi 10mi. Mancus in fine.

CODEX 123. alt. 10½ lat. 6½ Libri tres Canonum Pœnitentialium. Incipit hoc pacto: *De utilitate Pœnitentiæ, & quomodo credendum sit de remissione peccatorum per pœnitentiam cum præparatione operis subsequentis*. Post Præfationem incipiunt Capitula Libri primi. primùm, *Quòd nulli ultima pœnitentia sit deneganda.*

ganda. Libri 3tii Canones ſunt numero 164....de Epiſtola formata. Liber Sæculi 10. vel 11mi.

COD. 91. *b*. Canones Pœnitentiales LXXI. Primus Canon contra Presbyterum, Symboli Apoſtolici ignarum. Ultimus de Statutis Eccleſiarum.

CODEX 124. alt. 11. lat. 8. Unc. Codex hic *quatuor Libros* habet. Præcedit Index Capitulorum Libri primi. Deinde notitia *interrogandorum ab Epiſcopo viſitante Diœceſin*. Liber primus continet Capitula 119. Secundus continet Capitula 165. Liber tertius continet Capitula 154. Liber quartus Capitula 60. Sequuntur varia Decreta Pontificum & Doctorum Eccleſiæ. Deinde *Hadriani PP*. Decreta *Angilramno* data. Liber mutilus in fine. Ultimum Caput eſt ex Concilio Antiocheno, quod incipit = *De illis hominibus, qui ſe dicunt, propter Dominum quod ſe tonſurâſſent, & modo res eorum & pecunias habent*. Liber Sæculi 9ni vel 10mi.

NOTA LIV. *De Collectoribus Canonum Pœnitentialium Latinis.*

Fuêre præterea Latini Scriptores ſingulares, qui Canones Pœnitentibus examinandis, coercendis, reconciliandis pro ſui Sæculi & Eccleſiæ Genio collegerunt & ſcripſerunt.

1. Liber pœnitentialis Romanus, editus ab HUGONE ME-

K NAR-

NARDO Benedictino anno 1641. post HENRICUM CANISIUM: de quo & in Classe IV. sermo recurret, quum de *Ordine*, vel *Pontificali Romano* agetur.

2. THEODORUS Cantuariensis Archi-Episcopus.

3. Venerabilis BEDÆ Libellus *de Remediis peccatorum*, inter ejus Opera Tomo VIII. Coloniensis editionis extat.

4. RHABANI MAURI, Archi-Episcopi Moguntini, Liber poenitentium, in Coloniensi editione anni 1627. Tomo sexto in folio, sed anno 1532. Typo Coloniensi Joannis Prael in 12.mo. Illustrissimus ANTONIUS AUGUSTINUS duos postremos cum Notis Eruditis edidit.

5. RHEGINONIS PRUMIENSIS Tractatus *de Disciplinis Ecclesiasticis, & Religione Christiana*: in duos Libros divisus, quos Cl. *Stephanus Baluzius* summâ accuratione edidit, & notis illustravit.

6. BURCHARDUS Wormatiensis Episcopus ex Libris XX. Decretorum, quæ collegit, tum peccatorum speciebus & poenis definiendis, tum docendæ legitimæ administrationi Sacramenti Poenitentiæ, præcipuè Libros XVIII. & XIX. destinavit, editionis Colon. anni 1548. ex Officina Melchioris Novesiani.

Ad hanc Classem Librorum Poenitentialium referendi sunt Codices nostræ Bibliothecæ CXVIII. CXIX. CXXI. CXXII. CXXIII. XCI. *b.* Synodus Wormatiensis anni 868. in Codice CXVIII. descripta, ab HARDUINO & LABBEO impressa legitur *Tomo V. Conciliorum pag. 733*, sed Canones octoginta habet, Noster Codex triginta octo duntaxat.

NO-

NOTA LV. *De Collectione Capitularium Regum Francorum.*

Poſt varias Editiones Capitularium Regum Francorum ab BEATO RHENANO, JOACHIMO VADIANO, VITO AMERSPACHIO Germanis, à JOANNE TILIO Epiſcopo Briocenſi, PITHOEO, SIRMONDO, Francis Criticis tentatas, locupletiſſima & ordinatiſſima prodiît anno 1677. Operâ Cl. Viri STEPHANI BALUZII.

In qua primùm Ordine Chronologico, quantum fieri licuit, Capitularia Regum Francorum ab anno Chriſti DLIV. ad annum DCCCLXVII. digeſta & expanſa cernuntur: Secundò Collectio eorundem Canonum in unum Volumen, quatuor Libris diſtinctum, & vulgatum ab ANSEGISO Abbate Anno DCCCXXVII. videtur.

3tiò Sequitur Collectio Capitularium ab Anſegiſo prætermiſſorum. Hic enim CAROLI MAGNI ad Eccleſiaſticum ordinem pertinentia in primo, in ſecundo Capitula LUDOVICI PII, in tertio CAROLI MAGNI ad mundanam pertinentia Legem, in quarto Capitula LUDOVICI PII, ad augmentum mundanæ legis pertinentia ediderat.

Ex his prætermiſſa BENEDICTUS Levita Moguntinenſis Capitula PIPPINI, & CARLOMANNI in tres Libros diligenter edidit circa DCCCXLV. & Otgario, Moguntino Archi-Epiſcopo ſuo, cujus hortatu collectionem aggreſſus erat, dicavit.

Noſter autem Codex CXXIV. repræſentat Volumen, quatuor Libris conſtans, quorum primo Capitula CXIX. Secundo Ca-

pitula CLXV. Tertio Capitula CLIV. Quarto Capitula LX. continentur, ejuſdem ſtili & formæ, & ex iisdem fontibus deprompta, ex quibus *Anſegiſus*, & *Benedictus* ſuas Collectiones concinnârunt, ſed noſter Codex alius eſt *in Numeris* Capitulorum, alius *Ordine* Capitulorum, alius in *Materiarum diſcretione*; Liber primus tractat de Juribus, Officio, Conſecratione Epiſcoporum, Eccleſiarum. Liber ſecundus de Juribus, Officiis, Ordinatione Presbyterorum, Clericorum. Liber III. de Variis criminibus Clericorum, eorum pœnis, & Sacramento Pœnitentiæ.

Liber IV. de Impedimentis Ordinis, & Matrimonii, de Pœnis Canonicis variorum criminum.

NOTA LVI. *In eundem Codicem, de Diſciplina Eccleſiarum Germanicarum Sæculo X. & XI.*

Ante Librum primum deſcribitur notitia, „Quid Epiſcopus, „ vel ejus Miniſter in ſua Synodo diligenter inquirere debeant per „ Vicos publicos, ſive Villas, atque Parochias propriæ Diœceſis.

Conſtat interrogatoriis XCVIII. deſumptis ex *Rheginone*, qui in fronte Libri primi ponit inquiſitionem inſtituendam ab Epiſcopo de Vita Clericorum: at ſecundam inquiſitionem de Vita Laicorum, ab Rheginone præmiſſam *Libro ſecundo* hic Codex non habet.

Eſt autem hæc Notitia, quæ noſtro idiomate dicitur = *Forma viſitandæ Diœceſeos*, illuſtre monumentum diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Sæculo decimo in Eccleſia Treverica vigentis, à qua noſtram confinem haud abfuiſſe procul, docet hic Codex Metropolitanæ Baſi-

Basilicæ nostræ illatus. *Natalis Alexander Sæculo IX. Christiano C. III. art. XXXII.* ex hoc Formulario Visitationis specimen præbet disciplinæ Ecclesiasticæ in Germaniæ Ecclesiis, uti & *Van Espen*: quæ nos suo loco fusiùs referemus.

Tertium quod hoc Codice CXXIV. continetur, sunt variorum Pontificum, & Conciliorum Canones, nullo ordine collecti, quasi fragmenta dispersa Capitularium Francorum.

NOTA LVII. *De Capitulis Angilramno ab Hadriano PP. datis.*

Ultimò demum hic Codex continet = Ex Græcis & Latinis Ca-
„ nonibus, atque Decretis Præsulum, & Principum Romanorum
„ hæc Capitula sparsim collecta sunt, & Angilramno, Medio-
„ matricæ Urbis Episcopo, Romæ à Beato Papa Adriano tra-
„ dita, sub die tertia decima Kalendarum Octobrium, Indictio-
„ ne nonâ, quando pro suis negotiis causa agebatur. „ Hæc Capitula primus edidit ANTON. AUGUSTINUS, Tarraconensis Archiepiscopus, qui ea ad A. C. 783. referenda suspicatur, & numero 72. definit.

SIRMONDUS in *Conciliis Galliæ* ea denuo recudit numero octoginta. BALUZIUS his Canonibus, sive ab Angilramno oblatis Hadriano PP., sive ab hoc Pontifice datis Episcopo Metensi, *Jus novum* inductum suspicatur, & detractum nonnihil de veteri Jure Provinciali, in dijudicandis Episcoporum causis, sed Cl. *Schelestrate Antiquit. illustr. p. II. diss. II. C. XI.* eruditè concordiam Juris veteris & Pontificii tuetur.

CODEX 125. alt. 10. lat. 8. Unc. Continet III. *Libros Capitularium* ad PIPINUM *Regem Nobilissimum scriptos à Coetu Venerabilium Praesulum, & sequentis Ordinis Religiosorum Sacerdotum jussu Domini Nostri* LUDOVICI *Caesaris Eximii apud Aquasgrani.* Libri primi Capitulum primum = Quòd Deus nullum peccatum inultum dimiserit. Libri 2di Capita XXXII. Libri tertii Capita XXVII. In Calce Libri tertii, ad Dominum Regem Sacerdotum allocutio humilis, atque fidelis. Liber Saeculi 9ni.

NOTA LVIII.

Codex CXXV. continet Libros tres, ab PP. Concilii Aquisgranensis II. ad Pipinum, Aquitaniae Regem missos, Anno Christi DCCCXXXVI. Ludovici Imp. XXIII. VIII. Idus Februarias, Indictione XIV. prorsus eosdem, quos HARDUINUS Tomo IV. Conciliorum edidit à pag. 1408, 1409. & seqq.


CODEX 126. alt. 12. lat. 9. Unc. GREGORII Cardinalis, Tituli S. CHRYSOGONI, ad Didacum S. Jacobi Ecclesiae Episcopum. Libri septem Canonum, & Decretorum ex Patribus & Conciliis excerpti. Liber videtur Saeculi 12mi. Mutilus in fine.

NOTA LIX.

Codex CXXVI. continet Collectionem Canonum Gregorii

S.R.E.

S.R.E. Cardinalis. Hic videtur idem esse ille, de quo *Anton. Augustin.* meminit L. I. *de emendatione Gratiani*, Dialogo XIV. & Lib. II. Dialogo XV. cujus Collectio *Polycarpus* inscribitur, qui Operis titulus, non Autoris nomen est. Extat Ms. in Bibliotheca Vaticana & Colbertina. Typis prodiît Parisinis 1641. in Epitome Juris Pontificii.



CLASSIS TERTIA.

PARS II.

Jus Ecclesiasticum Novum.

CODEX 127. alt. 17. lat. 13. Unc. Codex Sæculi XIV. circiter, aut XV. continet totum Decretum GRATIANI sine Glossis.

CODEX 128. alt. 18. lat. 15. Codex Sæculi XIV. continet Decretorum GRATIANI duas primas partes, distinctiones, & causas.

CODEX 129. alt. 15. lat. 10½ Decretum GRATIANI mutilum in principio & fine. Incipit à Distinct. 72. & finitur... Vide Caput *Lotharius*. Sæculi XII. vel XIII.

NOTA LX.

Codices CXXVII. CXXVIII. CXXIX. Gratiani Decretum habent, scriptum ab eodem Bononiæ, in Monasterio S. FELICIS, circa

circa annum Christi 1050. Opus hoc magnam quidem apud Jureconsultos æstimationem reperit, multorum Scholiis & Glossis illustratum fuit per quinque Sæcula: sed à nullo Pontifice Legis vim obtinuit, nec majorem nunc habet autoritatem, quàm fontes, ex quibus Canones desumpti sunt, judicio Cardinalis DE LUCA, FAGNANI, ZOESII, ANDREÆ VALLENSIS, POSSEVINI in Apparatu Sacro; sunt autem in vasto Opere haud pauca dubiæ fidei, multa supposititia: quibus emendandis, & veris fontibus detegendis primùm Romani PP. datis censoribus operam dederunt, laudante Gregorio XIII. Subinde Ms. Codicibus quotidie productis & criticâ adolescente, Illustrissimus ANTON. AUGUSTINUS scripsit de *Emendatione Gratiani* Libros VI., quos Cl. Stephanus Baluzius suis Observationibus auctiores edidit.

CODEX 130. alt. 20. lat. 12. Continet *quinque Libros Decretalium* cum Glossa.

CODEX 131. alt. 16. lat. 10. Libri quinque Decretalium sine Glossa.

CODEX 132. alt. 17. lat. 12. Continet Statuta Synodalia Ecclesiæ Colon. à Dno CONRADO Anno 1260. ad Annum Domini 1491. sub HERMANNO IV. Additum est unum Statutum Hermanni ejusdem, charactere Gothico.

CODEX 133. alt. 17. lat. 12. Continet Statuta à Dno CONRADO Anno 1260. ad Annum Domini 1354. Charactere Gothico.

CO-

CODEX 134. alt. 7½ lat. 6. Unc. Statuta Colonienſia in quarto ab Anno 1246. ad 1389.

NOTA LXI. *De Collectione Synodorum Colon.*

Codices CXXXII. CXXXIII. CXXXIV. complectuntur Statuta Synodorum tum Provincialium, tum Diœceſanarum Colonienſium: quæ jam tertium Colonienſi Typo prodierunt in folio, nempe Anno 1478. per *Joannem Guldenſchaeff*, Anno 1492. per *Joannem Koelhoff de Lubeck*, ſed editio ultima anni 1554. addit Synodos celebratas uſque ad Diœceſanam ſub Adolpho III. A.C. 1551. die S. Valentini indictam, id eſt XVI. Februarii, quæ erat Feria II. poſt Dominicam *Invocavit*, Coloniæ celebratam.

Hi Libri tam Ms. Superſtites, quàm impreſſi inchoantur omnes ab Anno 1260. Idibus Martii, quo die Synodum Provincialem Coloniæ celebravit CONRADUS ab Hochſteden Archi-Ep. Colonien. Præmittitur autem Synodus in Alemannia celebrata ab CONRADO CARDINALI S. Sedis Legato:

Mirandum ſanè eſt, cur Collectores Conciliorum Colonienſium & Editores nonniſi ab Anno 1260. collectionem inchoaverint, cum ex Hiſtoria certiſſimi ſimus, plurimas intra Diœceſin noſtram Synodos celebratas fuiſſe, inde ab Anno Chriſti 348, multas extra eam, quibus Colonienſes Archi-Epiſcopi interfuerunt, & ubi de eorum Juribus actum fuit.

CODEX 135. alt. 11. lat. 7. Summa *Goffridi de Trano* Libris quinque contenta ſcripta Sæculo 16to.

NOTA LXII.

Codex cxxxv. Hic autor dicitur à *Gesnero* Gaufredus de Trana Subdiaconus Ecclesiæ Romanæ, & scripsisse super Titulos Decretalium Lib. V. Quæstionum variarum Lib. I. *Vid. Bibliothecam Gesneri.*

CODEX 136. alt. 11. lat. 8½ Unc. Sessiones nonnullæ Conciliorum Constantiensis & Basileensis. Volumen chartaceum Sæculi XV.



CLASSIS

BIBLIOTHECÆ METROPOLITANÆ COLONIENSIS
CLASSIS QUARTA.
LIBRI LITURGICI.
NOTA LXIII. *Significatio vocis, Liturgia.*

LITURGIA. Græca vox est, quæ *Suidâ teste*, si proprio significatu sumatur, actionem sacram publicam significat; si catechretico, civilem profanam. Hagiographi Novi Testamenti *Actorum XIII, 2. Roman. XV, 16. Hebræos VII, 26. X. II.* non inficiantibus ERASMO, BEZA, HENRICO STEPHANO; ECCLESIASTICI SCRIPTORES Græci *Liturgias* JACOBI, BASILII, CHRYSOSTOMI non alio sensu, quâm actionis sacræ publicæ intellexerunt. Nec ignoramus quod *Roman. XIII, 6.* per *Liturgos* Civilis Magistratus, *II. Corinth. IX, 2.* Eleëmosynarum distributio, *Philemon 2. Liturgus*, minister necessitatis accipiatur.

Nos in hac Classe *Liturgicos* vocitamus Libros 1.) Qui de Sacrificio Missæ ejúsque Partibus tractant; 2.) De publicis Ecclesiæ precibus, seu Officio horario, Canonico; 3.) De administrandis Sacramentis, eorúmque ritibus; 4.) Speciatim de Sacramento Ordinis, 5.) De Episcoporum Functionibus Hierarchicis, Consecrationibus, Benedictionibus Personarum, Ecclesiarum,

Rerum. *Bellarminus* L. I. de Missa. *Emin. Bona* Rerum Liturg. L. I. C. III, *Lorinus* in C. XIII. Actuum.

CODEX 87. *b.* alt. 10½ lat. 8. Unc. Liber Sacramentorum de circulo anni à GREGORIO MAGNO expositus; mutilus: nam usque ad Dominicam quintam Quadragesimæ duntaxat porrigitur. Sæculi X.

CODEX 88. *d.* alt. 11. lat. 9½ Liber Sacramentorum S. GREGORII P. divisus in duas partes. Sæculi IX.

CODEX 137. alt. 12. lat. 10. Liber Sacramentorum de Circulo anni, est divisus in quatuor partes. Primus Liber S. GREGORII. Secundus verò tribuitur GRIMOLDO Abbati, constat *Sectionibus* 147. quibus & totidem Missæ, aliæve Benedictiones respondent. *Tertius Liber* habet XVIII. Missas, id est, Orationes pro Missis distributas in septem dies hebdomadæ. Hoc Libro PAMELIUS usus est veluti singulari in hoc genere.

Quarta pars continet Benedictiones varias, in variis per annum Missis. Adjecta in fine Litania rarissima, in qua oratur pro FORMOSO Apostolico, pro ARNOLFO Germaniæ & Lotharingiæ Rege, pro HERMANNO Antistite nostro, qui tres anno DCCCCXC. simul vivebant. Et quidem Hermannus noster Formosi Papæ Legatus, Arnolfi Regis Cancellarius fuit. Initium Præfationis & Cano-

Canonis Missæ, literis aureo-albis in membrana purpurea exhibet.

Indicat hunc Codicem PAMELIUS paginis 180, 184, 302, 396, 517. Ætas Libri ex Litania proditur, quæ tamen paulò junior videtur ipso Codice.

NOTA LXIV. *De Nomine & Autore horum trium Codicum.*

Liber *Sacramentorum*, nomine suo fallit imperitos Stili Gregoriani. Expectant enim hoc nomine audito formulas administrandorum Sacramentorum. At præcipuum, quod hoc libro continetur, est *Canon Missæ*, *Orationes ternæ* aut plures intra Sacrificium recitandæ, *Præfationes* longè plures quàm decem nunc usitatæ; demum *Benedictiones* multifariæ in fine Missæ pro temporum & festorum varietate diversæ, cum unica nunc sit Episcopis, unica Presbyteris in usu. Autor hujus Libri non est S. Gregorius Papa, sed Ordinator & Corrector rectiùs dicitur. Non enim hic Pontifex primus scripsit ea, quæ hoc Codice legimus, nam & GELASIUS, qui uno Sæculo Gregorium præcedit, similem Librum Sacramentorum collegerat. Hunc diu Orbi Literario optatum è tenebris Bibliothecarum eruit JOSEPHUS MARIA THOMASIUS, Clericus Regularis Romæ anno 1681. subin Cardinalis, ex quo Gelasiano Ordine multa „S. Gregorius subtraxit, pau-„ca convertit, nonnulla adjecit, & in tres Libros distributum „uno Volumine coarctavit, quod Volumen *Librum Sacramentorum* prætitulavit; „ Verba sunt JOANNIS Diaconi Biographi

coævi S. Gregorio. Fuit in Romana Ecclesia semper Sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, fuêre Orationes, Ritus, Psalmi. Hos Gelasius & Gregorius sapientissimo consilio ex Patrum Traditione collegerunt, digesserunt, fixerunt, & hoc sensu Autores sunt Librorum: *VValafridus Strabo de Reb. Eccles. cap. 22. Vigilius Papa Epistola ad Profuturum Ep. Bracarensem. Isidor. L. 1. de Eccles. Officiis. cap. 15.*

NOTA LXV. *De Divisione Libri Sacramentorum.*

Pamelius, qui Codicibus 88. *d.* & 137. usus fuit anno 1571, quia in iis Librum Sacramentorum in duos divisum reperit, ità edidit, & secundum Librum *Grimoldo* Abbati tribuit ex nostro Codice 137. [nam Codex 88. *b*. divisionem eandem habet, sed nullum nomen Autoris: Præfationem etiam eandem & Capitum numerum habet.] En verba Codicis 137. = Explicit Liber Gregorii. Incipit Præfatio Libri secundi à Venerabili Grimoldo Abbate ex Opusculis SS. Patrum excerpti = HUGO MENARDUS Benedictinus luculentissimus Commentator Libri Sacramentorum reperit Codicem Ms. Corbeiensem circa annum 853. scriptum simili partitione, sed RODRADO Presbytero attributum. Cæterum eâdem Præfatione, eâdem Capitum divisione & numero; quanquam in Rotradi Codice levicula discrimina sint à Grimoldi Codice, quæ in *Præfatione* Menardus enumerat.

Quæritur nunc legitima sit annon hæc divisio? & quo fundamento nixa? Placet mihi MENARDI Sententia, hanc divisionem Novitiam esse, Gregorio ignotam, uti uterque Autor GRI-

MOL-

MOLDUS & RODRADUS ſolo nomine tenus noti ſunt, & meri Librarii fuêre, qui ex ALBINO, aliíſque Autoribus nonnullas Miſſas ſecundo Tomo inſeruerunt. Ratio prima eſt, quia Codices Sacramentorum Ms. Remenſis & S. Eligii nullam diviſionem habent. 2. Titulus Ms. Codicum Gregorianorum eſt conſtanter hic: Liber Sacramentorum de *Circulo Anni:* quî autem Miſſæ de circulo anni contineantur in eo Codice, quo Orationes pro Miſſis inter Theophaniam & Septuageſimam, inter Paſcha & Pentecoſten, inter Pentecoſten & Adventum non extant? eſt igitur contra omnem veriſimilitudinem, quod Grimoldus ſive Rodradus has Miſſas à Codice Gregoriano ſecreverit. Rurſum Miſſæ de tempore, ſunt veluti baſis & ſubſtantia Miſſalis, cui Miſſæ de Feſtis & Sanctis incubant, & innectuntur. Quî igitur credemus hæc abfuiſſe à Codice Gregoriano? Demus nunc Libro primo à Librariis adſcitas fuiſſe Miſſas de *Nativitate*, de *Aſſumptione B. M. V.* de *Natali S. Gregorii Papæ*, non ideo hæc evincunt legitimam fuiſſe hanc diviſionem. Vide *Notas* Menardi Tomo III. Operum S. Gregorii pag. 411. Ergo legitima non eſt hæc diviſio, & ſeriùs in Librum S. Gregorii invecta.

NOTA LXVI. in Cod. 137. *De Forma Abſolutionis Gregorianâ.*

Orationes ad reconciliandum pœnitentem Feriâ V. in Cœna Domini, & Feriâ IV. in Quadrageſima, permultæ ſunt in Libro Sacramentorum, ſed deprecativæ omnes, uti & *in Pontificali Romano* impreſſo pro hac die, legitur *Abſolutio* Pontificalis depre-

deprecativo modo concepta. Nihilominus eædem Orationes disertè ostendunt Ecclesiæ Catholicæ Fidem, quod Sacerdotes sint, & credantur esse veri Ministri Reconciliationis & quidem ex Jure Divino datarum clavium: uti & Paulus *Ministerium Reconciliationis* II. Corinth. V. 18. sibi à Deo per Christum datum fuisse docet. Hæc sufficiunt Hæreticis negantibus potestatem remittendi peccata, in Ecclesia Catholicâ relictam fuisse Apostolis, eorúmque Successoribus. Verùm hæ formulæ deprecativæ Feria V. in Cœna Domini adhibitæ, in Libris Sacramentorum Gregorianis, in Grimoldi Abbatis, Ordinis Romani, aliísque veterrimis Ms. Libris Pontificalibus, Ritualibus induxerunt Morinum LVIII. *Comment. Histor. de Disciplina Sacramenti Pœnitent.* Ad asserendum 1. formam Sacramenti Pœnitentiæ deprecativam duntaxat esse posse. 2do Duodecim prioribus Sæculis Christianis deprecativam duntaxat fuisse: quod præter nonnulla & Scripturæ & PP. loca ex Ms. Codicibus potissimùm demonstrâsse se opinatur.

Sed ad hanc Morini opinionem falsi convincendam sufficit nobis Oecumenicæ Synodi Tridentinæ Doctrina Seſs. XIV. cap. III. „ Docet S. Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua „ præcipuè istius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse, = *Ego te absolvo* = &c. quibus quidem de Ecclesiæ S. more *preces* „ quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ „ essentiam *nequaquam spectant*, neque ad ipsius Sacramenti ad- „ ministrationem sunt necessariæ.„ Quàm infeliciter *Morinus*, & *Jueninus* se hoc decretorio Dogmate extricare nitantur, osten-

dunt

dunt Scholaſtici, unanimi conſenſu inde à S. Thoma uſque ad noſtrum Sæculum, vide *Simonettum Tract. XV. de Pœnit. Diſput. VIII.* Etſi jam Tridentinum contrariam Sententiam Anathemate non ferierit, certum tamen ex Tridentino nobis eſt, ſolâ deprecatoriâ formâ utentem in Sacramento Pœnitentiæ, temerarium eſſe, & periculo nullitatis Sacramentum exponere.

Formulæ deprecativæ in Cœna Domini adhibitæ non ſunt Sacramentales, ſed reconciliatoriæ peccatorum publicorum, jam in ſecreta confeſſione prævia ſigillatim à Presbyteris abſolutorum, quod ſola Ritualia Ms. & impreſſa indicant, quibus Corpori Eccleſiæ ab Epiſcopo, vel eo abſente, à Presbytero publicè reſtituuntur, & ad Sacramenta Paſchalia admittuntur; iterum ſunt abſolutiones publicæ à Venialibus, quales hoc die, & in die Cinerum & inter horas Canonicas *Primam*, *Completorium*, *ad Introitum Miſſæ*, adhibentur, quæ non ſunt Abſolutiones Sacramentales, ſed Orationes ad Venialium remiſſionem ordinatæ. Hæc eſt reſponſio *Doctoris Angelici* Opuſc. XXII. cap. 2. *Morini* opinionem quinque Sæculis prædamnantem.

NOTA LXVII. *De Materia Sacramenti Ordinis Gregoriana.*

Iidem Codices Ms. puta, Sacramentorum Liber S. Gregorii, Ordo Romanus, Cod. 138. utrumque Pontificale Colonienſe, Codicibus 139. 140. Pontificale Remenſe Cod. 141. dum Materias Sacramentorum Ordinis recitant, in Subdiaconatu nullam men-

M tio-

tionem faciunt tradendi Libri Epistolarum, in Diaconatu nullam tradendi Libri Evangeliorum, in Presbyteratu nullam mentionem imponendæ manûs Episcopalis cum hac formula = *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis* &c. Unde *Morinus* Exercitat. VII. de Ss. Ordination. parte III. c.II. & VI. concludit eos Ritus non pertinere ad materiam essentialem Ordinis, eo quod in ordinandis Presbyteris Ecclesia Græca nunquam, Latina primis mille ducentis annis eam formulam non adhibuerit. Subscribunt Morino, *Hugo Menardus*, *in Notis ad L. Sacramentorum*, & *Martene*, qui tertiæ impositionis manuum cum formula = *Accipe Spiritum S.* &c. Primam mentionem fieri in vita S. LIEDBERTI Cameracensis Episcopi observavit: hic autem vixit Sæculo X. Secundò observat hanc materiam Presbyteralis Ordinis recentiorem esse instrumentis porrectis, quæ nunquam ad materiam essentialem pertinuisse in Ecclesia Latina opinatur.

Confirmantur hâc in Sententia, quia ISIDORUS, AMALARIUS, RABANUS MAURUS, WALAFRIDUS STRABO ex professo de Ss. Ordinibus tractantes, neque hujus formulæ, *Accipite Spiritum S.*, neque porrectionis instrumentorum in Episcopatu, Presbyteratu, Diaconatu meminêre. Ex Scholasticis *S. Bonaventura*, *Petrus Sotus*, *Martinus Becanus* essentialem materiam Ordinum Majorum solam manûs impositionem chirotoniam docuerunt. Contrariam Sententiam universa pænè acies Scholasticorum tenuit. Sanctissimus D. N. BENEDICTUS XIV. Christiani & Literati Orbis Caput L. VII. *de Synodo Diœcesana* C. XXVI. monet Episcopos, „ ne „ quid

„ quid in Synodis decernant de trium ſuperiorum Ordinum Hie-
„ rarchicorum materia & forma, ſed curent, ut ad amuſſim exe-
„ cutioni mandentur, quæ in Catechiſmo Romano de hac ma-
„ teria tractantur. „ Tanti Pontificis temperantiâ monemur, ut in rebus facti ad Divinum Jus arbitrarium ſpectantibus, ab omni cenſura abſtineamus, & Eccleſiæ Traditionem ex conſenſu perenni & concordi diſcamus.

NOTA LXVIII. *De Forma Unctionis Gregoriana.*

Clariſs. *Menardus* Nota 912. *in L. Sacramentor. pag. 534. Edition. Pariſin. Operum S. Gregorii in hac verba :* „ Perungat infir-
„ mum de Oleo Sanctificato, crucem faciendo in collo, & in
„ gutture, & inter ſcapulas, & in pectore, ſeu ubicunque ma-
„ jor dolor incumbit, ità dicendo = Ungo te Oleo Sancto in
„ Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S., obſecrans Miſericor-
„ diam ipſius unius Domini ac Dei noſtri, ut fugatis omnibus doloribus &c. „ Contendit formulam, quæ Extremæ Unctioni infirmorum conjungitur indicativam eſſe poſſe, & hujusmodi apparere in vetuſtiſſimis Codicibus Ms. Gregorianis, & Grimoldi & Rodradi. 2dò Ambroſianam Unctionem infirmorum eſſe indicativam, teſtibus *S. Bonaventurâ, Richardo à Mediâ Villâ, Paludano*, qui hanc Ambroſianam formam non audent improbare, etſi deprecatoriam, quâ nunc Eccleſia utitur, congruentiorem Textui Jacobæo exiſtiment. 3tiò Liber Sacramentorum è Bibliotheca Vaticana vulgatus cum formula indicativa jungit unctionem. 4tò Addamus & alios duos Codices ex hac Biblio-

theca *Cod. 140.* & *Agendam Colon. pro infirmis. Cod. 142*, in quibus formula indicativa cum unctione conjungitur præcedentibus multis deprecativis & consequentibus. 5tò *Agenda Colon.* impressa anno 1598. sub ERNESTO hâc formulâ utitur „ Pax te-„ cum. ℞. Et cum Spiritu tuo.... Ungo oculos tuos Oleo Sancti-„ ficato in Nomine P. & F. & S. S., ut quidquid illicito usu deli-„ quisti, hujus olei unctione expietur per C. D. N. Amen. Similis indicativa forma ungendis cæteris partibus præscribitur.

Unde Menardus arguit *Petrum Ledesmam*, qui hanc formulam, *Ungo te*, præambulam, accessoriam, & non essentialem pronuntiat.

Modernus Pontifex relatis his, & aliorum contradicentium opinionibus ponit uti manifestum, quod à Christo Domino hujus Sacramenti forma non fuerit in *Specie infima* determinata. 2dò Ab Ecclesia formulam indicativam uti irritam nullo Canone vel Decreto fuisse proscriptam. 3. Quamvis Concilium Tridentinum Sess. XIV. C. I. ità astruat formam deprecatoriam, ut non damnet indicativam, nihilominus sinè gravi flagitio aliâ formâ nemo uti debet, quàm quæ à Rituali Catholico præscribitur.

NOTA LXIX. *De Numero Partium Ungendarum.*

Pari discretione procedunt Theologi definituri numerum partium humani corporis ungendarum. Sacramentaria antiqua, alia plures, alia pauciores partes ungendas designant, quàm recentia, quæ ordinariè septem docent ungenda.

Codex noster CXLII. jubet ungi caput, collum, oculos, aures, labia,

labia, guttur, ſcapulas, pectus, cor, pedes, demum ubi major dolor eſt; & ſingulis membris ungendis ſua ſingularis forma reſpondet.

S. Albertus M. Eccleſiæ Noſtræ & Scholæ Colon. Doctor ac Teſtis graviſſimus Sæculi XIII. „ In Ordinibus, ait, magis appro-„ batis, & quibusdam Eccleſiis unguntur tantùm extremitates, „ ut os, nares, & oculi, & aures, quia in illis ſunt organa „ quinque ſenſuum. Tamen alii præter hæc ungunt ſcapulas, „ pectus & renes.

Quem igitur numerum partium ungendarum in tuo Catholico Rituali reperis, hunc de neceſſitate præcepti obſerva, nec ex numero valorem Sacramenti metire, quum recentiſſima *Agenda Colonienſis* unicam membri unius unctionem cum formula generali ſufficientem doceat pro caſu Peſtis, aut imminentis mortis perſonæ ungendæ.

NOTA LXX. *De Tempore Liturgiæ Gregorianæ inductæ in Eccleſiam Colon.*

Ante Pippinum Regem, Ejúsque Filium Carolum M. fuiſſe in Gallicanis & Germanicis Eccleſiis diverſam ab Romana ſeu Gregoriana Liturgia, Liturgiam & Officium Precum, uti indubium ſupponit *Schultingius, Bibliotheca Eccleſiaſtica Tomo I. partis 1. C. 42. 43. Radulphus Tungrenſis Decanus Propoſ. XII.* Quæritur, quo Sæculo hæc mutatio contigerit? Sæculo octavo id eveniſſe docemur ex Epiſtola PAULI PP. I. ad Dominum PIPPINUM Regem apud *Gretſerum Tomo VI. nova edit. pag. 719.*

Direximus etiam Excellentiſſimæ Præcellentiæ Veſtræ & Libros, quantos reperire poterimus, id eſt *Antiphonale* & *Reſponſale* &c. Cum his Libris Divina Officia Eccleſiæ Romanæ in Gallicanam tranſierunt, unà cum Cantu Romano, de quo Epiſtola XLIII. Codicis Carolini à Gretſero publicati: quæ facta ad annum Chriſti DCCLVIII. refert *Pagi in Critica Baronii. Baron.* ad A.C. DCCLIV. quo tempore Nuntii Pontificii & Regii creberrimi ultrò citróque commeabant, tum Pſalmodiæ Romanæ addiſcendæ causâ Monachi Gallicani Romam mittebantur, traditi *Simeoni*, qui *Scholam Cantorum* Romæ moderabatur.

Gregorii Sacramentarii Epocham diſcimus ex eodem Codice Carolino *Gretſerianæ Edit.* pag. 765. Epiſtolâ LXXXII. ſcriptâ ante DCCXCV. die VIII. Kal. Januar. quo obiît Hadrianus.

„ De *Sacramentario* verò à S. Prædeceſſore noſtro Deifluo
„ GREGORIO Papa diſpoſito jampridem PAULUS Gram-
„ maticus à nobis eum pro vobis petiît, & ſecundùm Sanctæ
„ noſtræ Eccleſiæ Traditionem per JOANNEM Monachum
„ atque Abbatem Civitatis Ravennatium Veſtræ Regali miſimus
„ Excellentiæ. „

Ademarus in vita Karoli Cap. VIII. prodit Hadrianum Papam dediſſe huic Regi *Antiphonarios* S. Gregorii, quos ipſe notaverat *Notâ Romanâ* Anno DCCLXXXVII. „ Omnes Franciæ Canto-
„ res didicerunt Notam Romanam, quam nunc vocant Notam
„ Franciſcam. *Baluzius in Notis ad L. I. Capitularium Tomo II. pag.* 1134.

At nullus copioſior Teſtis ipſomet Catholico & Invicto Cæſare

Carolo

Carolo *L. I. contra Synodum Græcorum de Imaginibus*; [quem de hoc argumento quatuor Libros Romam misisse HINCMARUS refert] „ A cujus [Romanæ Ecclesiæ] Sanctâ & Reverendâ Com-„ munione multis recedentibus, nostræ tamen partis nunquam „ recessit Ecclesia, sed ea Apostolicâ Eruditione instruente, & „ eo, à quo est omne bonum optimum, tribuente, semper „ suscepit reverenda Charismata. Quæ dum à primis fidei tem-„ poribus, cum ea perstaret in Religionis Sacræ Unione, & ab „ ea paulò distaret, quod tamen contra fidem non est, in *Offi-„ ciorum Celebratione*, venerandæ memoriæ Genitoris Nostri Illu-„ strissimi PIPPINI Regis curâ & industriâ, sive adventu in „ Gallias Reverendissimi & Sanctissimi Viri STEPHANI Roma-„ næ Urbis Antistitis, est Ei etiam in *Psallendi Ordine* copulata, „ ut non esset dispar Ordo psallendi, quibus erat compar ardor „ credendi, & quæ unitæ erant Sanctæ Legis Sacrâ Lectione, „ essent etiam unitæ unius modulationis Venerandâ Traditio-„ ne... Quod non solùm omnium Galliarum Provinciæ & GER-„ MANIA sive Italia, sed etiam Saxones & quædam Aquilonaris „ plagæ gentes per Nos Deo annuente ad veræ Fidei rudimenta „ conversæ facere noscuntur. „ En factum! En Causas dignas Religiosissimo & Christianissimo Principe. En Epocham Officii & Cantûs Romani in Germanicas introducti Ecclesias; nempe exeunte Sæculo VIII. oriente IX.

Liturgiam eodem tempore introductam suadet eadem autoritas. Deinde Libri Liturgici Sacramentarii ab eo Ævo Hildebaldi Nostri curâ, Caroli Magni Liberalitate in Bibliothecam Nostram illati.

illati. Vide *Pagium* Criten ad A.C. DCCLXXXVII. affirmantem Carolum M. non sinè labore Gregorianum Officium, *Ambrosiani loco*, ubique recipiendum curavisse : quod ex *Durandi* L. V. C. II. probat. sed ego Gallicano non Ambrosiano suffectum Gregorianum Officium judico cum Cl. *Mabillonio*.

Caroli Decreta de Cantu Romano à Clericis & Monachis discendo, ob Apostolicæ Sedis Unanimitatem & Sanctæ Dei Ecclesiæ pacificam concordiam, *vide Tomo I. Capitul.* pag. 203. 239. 421. 453. 715. 965. *apud Baluzium.*

NOTA LXXI. *Differentia Liturgiæ Gallicanæ & Germanicæ à Romana Gregoriana.*

Germanicæ Rheno confines imò incubantes Ecclesiæ, eandem septem primis Sæculis Liturgiam cum Gallicana habuerunt.

Sæculo octavo mutatio facta est sub HILDEBALDO Nostro Archi-Episcopo, Caroli M. Archicapellano, & Consiliorum Ecclesiasticorum Duce ac Comite.

In quo Discrimen Veteris Nostratis Liturgiæ uti & Gallicanæ situm fuerit, nemo feliciùs Cl. MABILLONIO post Eminentissimum BONA observavit. Hic Purpuratus indicium primum dat, quòd Gallicana Missa Toletanæ seu Mozarabicæ ritibus admodùm congruerit, *alterum*, quòd in ea passiones Martyrum recitarentur, vel integræ vel abbreviatæ, idque ferè sub *Præfatione*. *Tertium* indicium in Ordine Gallicano tres Lectiones erant, prima ex Prophetis, altera ex Apostolo, tertia ex Evangelio : *Quartum*. Silentium à Diacono ante Lectiones indictum

dictum populo. MABILLONIUS *de Liturg. Gallican. L. I. C. IV.* adhuc nonnulla diſcrimina Miſſæ Gallicanæ veteris à Mozarabicâ, aliísque Latinis detegit & profert.

Romanæ Liturgiæ triplex Status conſiderari poteſt. Primigenium Ordinem ſucceſſu temporum quoad circumſtantias non verò quoad ſubſtantiam GELASIUS auxit & amplificavit, ut Vir magnus opinatur, ego contra fixum duntaxat ac determinatum autumo. GREGORIUS demum, ut in Nota LXIV. dicebam, in præſentem digeſſit formam, quam ejus Sacramentaria præ ſe ferunt.

Diſcrimen Gregoriani ab Gelaſiano eſt, quod hic duas trésve Orationes ante Epiſtolam, unam ante Præfationem, duas ferè poſt Communionem habeat, Gregorius ternas ordinariè pro ſingulis Miſsis.

Salvianus ortu Colonienſis, incolatu Maſſilienſis Presbyter clariſſimus, *Homilias Epiſcopis factas, multas, Sacramentorum verò, quantas non recordor, compoſuit.* Ait *Gennadius de Scriptor. Eccleſ.* ubi *Sacramentorum* Homilias interpretatur Mabillonius vel Sermones de Myſteriis Sacris inter Miſſarum Solemnia quondam ex more Gallicanæ Eccleſiæ recitari ſolitas, vel Orationes ſeu Collectas, vel Præfationes inter Miſſam dicendas. Hæc enim tria Sacramentorum titulo tum nuncupabantur.

Econtrario à Miſſa Romana aberant Lectiones de Paſſionibus Martyrum. Erant Lectiones ſingulæ ſingulis Miſſis; præterquam in Sabbatis XII. Lectionum ſeu Quatuor Temporum; aberat ſilentii indictio; Pax ante Præfationem, aliàs ante Commu-

nionem dabatur. Benedictio Solemnis aliàs & alibi præcedebat distributionem Eucharistiæ, nunc eam sequitur.

Præfationes utrobique plures, quam nunc, & prolixiores, attamen diversæ sunt Gallicanæ à Romanis tum prolixitate commemorandi Beneficii Divini aut Festi, tum stilo sæpe. Quæ omnia patescunt conferenti Librum Sacramentorum Gregorianum à *Pamelio*, *Menardo* editum cum Codice Gelasiano, & Gallicanis Gothicísque à *Thomasio*, *Bona*, & *Mabillonio* editis, maximo Historiæ Ecclesiasticæ incremento.

ORDO ROMANUS.

CODEX 138. alt. 9½ lat. 7½ Unc. Incipit Ordo Librorum Catholicorum, qui in Ecclesia Romana ponuntur ad Legendum. Sæculi noni.

NOTA LXXII. *In Codicem* 138.

Codex hic Hittorpiano [de quo Notâ sequente] brevior est, deinde variarum Orationum & Ordinationum initia tantùm continet, quæ Hittorpianus integra & prolixa edidit.

Tertiò, Series quâ partes hujus Libri coordinantur, paulùm differt ab Serie Hittorpianâ: *verbi gratiâ:* Ordo Librorum Scripturæ per annum in Officio Divino legendorum hic *primo*, *quarto* loco apud Hittorpium ponitur. Ordo processionis ad Missam primo, secundo & tertio loco Hittorpio; hìc primo collocatur &c. *Ordo Hittorpianus* dividitur in duas partes. *Pars prima* constat XXXIX. Capitibus, quibus Ordo Solemnis Missarum

per

per annum & præcipuis anni Festis in Ecclesia Romana usitatus describitur. Cæremoniæ Processionum ante Missam, rituum omnium in Missa. Reconciliatio Pœnitentium in Quadragesima. Scrutinium vel Examen Baptizandorum ante Pascha. Omnes ritus Hebdomadæ Sanctæ. Confectio Chrismatis, Baptismus in Sabbato Sancto. *Secunda pars* continet Cap. 18. éstque Pontificale Romanum brevius eo, quod nunc impressum habemus. At noster Codex ex his 57. Capitibus, nonnisì 27. complectitur.

Observo primò, *Eptaticum*, quod à Septuagesima usque ad diem XV. ante Pascha legitur, significat septem Libros Vet. Test. puta quinque Mosaicos, Josuæ, & Judicum.

Observo hic 2dò, Usum antiquum *Coli*, quem Subdiaconi in Ecclesia Nostra Metropolitana, & Gereonitica, & Sanseverinia-na argenteum gerunt. *In Ordine Missæ* „ Ornato Altari [per panes „ oblatos supra id positos, & vinum in amulas infusum,] Archi- „ diaconus sumit amulam Pontificis de Subdiacono oblationa- „ rio, & fundit super colum in Calice. Sciendum hîc omnes, qui Sacrificio intererant, Episcopum, Presbyterúmve Sacrificantem, Clerum, & populum panem & vinum obtulisse primo Millenario; *vide Orationem secretam Dom. VII. post Trinit. in Coloniensi Miss. Eandem Romanæ:* panes supra altare à Diacono accepti per Subdiaconum in ordinem dirigebantur, ut verè diceretur = *Tua Domine Muneribus Altaria cumulamus.* = *Oratio secreta in festo S. Jois Baptistæ.* Vinum autem in Amulas [qualia Vascula adhuc in Consecratione Episcoporum à Consecrandis offeruntur] infusum prius in Calicem quàm infunderetur, cribro colabatur, ne quid extranei corporis admisceretur. Qui mos licèt nunc cesset, ge-

N 2 statur

ſtatur tamen vetuſtæ ceremoniæ gratiâ cochlear cribratum. Similis colatorii meminit *Mabill. Liturg. Gallic. pag. 185.*

Obſervo 3. Incipit Ordo vel Denuntiatio pro Scrutinio ad Electos [id eſt Baptizandos] qui tertiâ hebdomadâ in Quadrageſima initiantur. Hic Ordo ab Hittorpio, vigeſimo loco collocatur, in Noſtro Codice tertio. Illuſtriſſimus ASSEMANNUS Prælatus Romanæ Curiæ in *Codice Liturgico XV. Libris abſolvendo*, aurigante Ss. D. N. BENEDICTO XIV. in Libro 1. jam anno 1747. Romæ impreſſo, & Autoris Clariſſimi dono ad me miſſo, exhibet *Scrutinia vel Initiationes* Catechumenorum ex Codicibus antiquiſſimis, tum editis, tum Ms. univerſæ Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis. Puta Eccleſiarum Græcæ, Chaldææ, Neſtorianæ, Malabaricæ, Antiochenæ Syrorum; dein Eccleſiarum Latinarum ex Europæ Bibliothecis celeberrimis: quæ omnia Notis criticis illuſtrat, egregiè de Eccleſia Dei meritus fauſtiſſimo hoc Exordio: quod ut confectum det, & invictam demonſtrationem Hiſtorico-Dogmaticam Liturgiæ Catholicæ Orbi repræſentet in XIV. Tomis ſecuturis, Deum oro. Scrutinium, quod pag. 71. hujus Voluminis Aſſemanni apparet, ſimillimum eſt Scrutinio Codicis Noſtri.

No. 6. Habentur Miſſæ *pro Scrutinio Electorum* celebrandæ. Intra *Memento* recitantur nomina Virorum & Mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt, *infra Actionem* recitantur nomina Electorum. Hæc Hittorpius duntaxat indicat: Noſter Expanſa offert: at in cæteris Noſter brevis eſt, Hittorpius prolixior.

No. 16. Legitur Oratio ad Diaconam faciendam.

N. 27.

No. 27. Litaniæ vetuſtisſimæ, quæ merentur hîc deſcribi.

,, Quando Laudes canendæ ſunt, expletâ Oratione à Pontifice, ,, antequam Lector aſcendat ambonem, pronuntiant duo Dia- ,, coni, ſive Cantores, reſpondente illis Scholâ, hoc modo:

,, Exaudi Chriſte. ℟. Domino noſtro à Deo decreto Summo ,, Pontifici & univerſali Papæ vita. Exaudi Chriſte. ℟. Similiter. ,, Exaudi Chriſte. ℟. Similiter. Salvator Mundi. ℟. Tu illum ,, adjuva. Salvator Mundi. ℟. Similiter. Salvator Mundi. ℟. Sim. ,, Exaudi Xte. ℟. Sim. Domino noſtro & Auguſto à Deo Coro- ,, nato Magno & Pacifico Imperatori Vita & Victoria. Per ter. ,, Sancta Maria. ℟. Tu illum adjuva, per ter. Exaudi Chriſte. ,, ℟. Ejus præcellentiſſimis Filiis Regibus vita. Per ter. Sancte ,, Petre. ℟. Tu illos adjuva. Per ter. Exaudi Xte. ℟. Exercitui ,, Romanorum & Francorum Vita & Victoria. Per ter. Sancte ,, Theodore. ℟. Tu illos adjuva. Per ter. Xtus vincit. Xtus ,, regnat. Xtus imperat. ℟. Schola Cantorum ſimiliter. Xtus ,, vincit, Xtus regnat, Xtus imperat. ℟. Similiter. Xtus vincit, ,, Xtus regnat, Xtus imperat, ℟. Similiter. Rex Regum Xtus ,, vincit. ℟. Similiter, ſed tantum ſemel. Rex noſter Xtus vincit, ,, Spes noſtra Xtus vincit, Gloria noſtra Xtus vincit, Miſericor- ,, dia noſtra Xtus vincit, Auxilium noſtrum Xtus vincit, Forti- ,, tudo noſtra Xtus vincit, Liberatio & Redemptio noſtra Xtus ,, vincit, Victoria noſtra Xtus vincit. Arma noſtra invictiſſima ,, Xtus vincit, Murus noſter inexpugnabilis Xtus vincit. De- ,, fenſio & Exultatio noſtra Xtus vincit. Lux, Via, & Vita no- ,, ſtra Xtus vincit. Ipſi ſoli Imperium, Gloria & Poteſtas per im-

„ mortalia in ſæcula ſæculorum Amen. Ipſi ſoli Virtus, Forti-
„ tudo, & Victoria, per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Ipſi
„ ſoli Honor, Laus & Jubilatio per infinita ſæcula ſæculorum.
„ Amen.

Aut ego vehementer fallor, aut hæc Litania cantata fuit Romæ, quando Carolus Romæ Anno DCCC. die Natalitio Salvatoris coronatus fuit Imperator. Similes enim ſunt Acclamationes: Filios ſuos Pippinum & Ludovicum jam Anno DCCLXXXI. cùm ſecundò Romam adiiſſet, Reges dixerat, illum Italiæ, hunc Aquitaniæ. *Pagi in Critica ad h. a.* Exercitus Romanus & Francus concordes erant, unde ſuſpicor & hunc Codicem tunc CAROLO datum fuiſſe, veluti Epitomen Ordinis Romani, & per HILDEBALDUM in Noſtram Bibliothecam tranſiviſſe.

NOTA LXXIII. *De Autore & Statu* Ordinis Romani.

Ordo Romanus primùm ab Hittorpio vulgatus fuit Typo Colonienſi Anno 1568. ex tribus Codicibus Ms. Viri ornatiſſimi CORNELII GUALTERII, varias autem partes hujus Ordinis ex Bibliotheca hac Metropolitica accepiſſe ſe gratus fatetur, quarum cum aliis collatione accuratior & plenior fieret editio. Idem Liber Romæ recuſus fuit Anno 1591. Tertiò Typo Colon. Anno 1618. Tomo VIII. Bibliothecæ Patrum.

Complectitur hic Liber id, quod nos tribus Libris ſeparatis, *Miſſali*, *Pontificali*, & *Rituali* complectimur. Duo de eo Volumine quæruntur, imo quis Autor ſit? dein verúsne ſit ille & primigenius Ordo Romanus, quem Hittorpius edidit? Au-

Autorem ſibi ignotum *Hittorpius*, omnésque veteres & recentes Tractatores Liturgicarum rerum fatentur. Sæculo octavo fuiſſe à Pontificibus Romanis transmiſſum PIPPINO aut CAROLO narrant, *Hilduinus Abbas S. Dionyſii*, *VValafridus Strabo*, *Sigebertus in Chronico*, & ex eo *Leopoldus Bambergenſis*. Veroſimile igitur eſt rogantibus tantis Principibus Pontificem imperâſſe Uni aut pluribus Romanæ Eccleſiæ Ceremoniarum peritis, ut, quos ex ſuæ Eccleſiæ traditione nôſſent, ritus in Miſſis, Officio Divino, Sacramentis & Ordinationibus, ac Benedictionibus adhiberi, ea in unum Volumen conſcripta *Pippino Carolóve* offerrent.

De primæva forma hujus Libri ſuſpicatur *Hittorpius* eam non eſſe in eo Volumine, quod ipſus edidit, ſed fortè ab Albino alióve auctam ad nos perveniſſe, aut contra, Albinum multa ex Ordine Romano mutuatum fuiſſe. *Hugo Menardus in Notis Libro Sacramentorum Gregorii ſubjectis* antiquum admodum eſſe hunc Ordinem fatetur, ſed à primæva ſimplicitate abiîſſe poſteriorum Scriptorum additamentis. *Joannes Morinus* ampliatum, qualis ab Hittorpio emiſſus fuit, nonnisì Sæculo decimo, cætera vetuſtum. *Parte III. de Sacr. Ordin. pag. 169. 170.* Cardinali BONA Judice, Liber eſt valde antiquus, ſed prout nunc editus eſt, poſterioris Ævi ceremoniis abundat: quod omnibus ritualibus Libris contingit, cum à recentioribus deſcribuntur. *L. de Divina Pſalmodia.*

CODEX 139. alt. $10\frac{1}{2}$ lat. $7\frac{1}{2}$ Unc. Pontificale Colonienſe. Codex hic non omnes quidem Epiſcopales Functio-

ctiones habet, quas tamen habet, eæ ferè cum *Ordine Romano* conveniunt. Sæculo XI. ſcriptus videtur. In Ordinatione Epiſcopi, in cujus Scrutinio hæc interrogatio formatur. „ Vis Sanctæ Colonienſi Eccleſiæ, mihi „ & Succeſſoribus meis fidem & ſubjectionem exhibe- „ re? ℟. Volo. Hinc colligitur Colonienſis Eccleſiæ eſſe = En Indicem = Ordo ad Benedicendum Regem. Conſecratio Pſalmiſte. Ordinatio Oſtiarii, Lectoris, Exorciſtæ, Acoliti, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri. Incipit Ordo, qualiter Dedicatio Eccleſiæ fieri debeat. Reconciliatio violatæ Eccleſiæ. Conſecratio Cemiterii. Ordinatio Abbatis, Abbatiſſæ, Abbatiſſæ Canonicam Regulam profitentis. Conſecratio Sacræ Virginis, Viduæ, quæ fuit caſtitatem profeſſa. Benedictio ſuper Conſecratos vel Ordinandos. Benedictio novæ domûs. Eædem & plures Ordinationes inſunt Ordini Romano ab Hittorpio edito, tum etiam alia ſerie collocati, demum nunc plures, nunc pauciores Orationes alteruter Codex habet.

CODEX 140. alt. 10½ lat. 8. Pontificale Colonienſe, cum notis muſicis, impoſitis Antiphonis & Præfationibus, quæ à noſtri Sæculi notis diverſæ figuræ ſunt. *Continentur hoc Libro.* In Purificatione S. Mariæ Benedictio ſuper Candelas. 2. Ordo in quarta feria, quod eſt in

in Capite Jejunii. 3. Ordo in Dominica Indulgentiæ, quæ Dies Palmarum vocatur. Cærimoniæ lectu dignissimæ. 4. Incipit Ordo, qualiter agatur Concilium triduo. Ponitur post Dominicam Palmarum inchoari, finiri in Coena Domini, in qua Episcopus legit *Ammonitionem ad Clerum*, eandem, quæ in *Ordine Romano* reperitur, unde discimus disciplinam, mores, & habitum Cleri Coloniensis, qualis Sæculo XI. fuit, quo hic Codex exaratus est. 5. Eodem die Coenæ Domini Benedictio ignis. 6. Eodem die Reconciliatio publica Poenitentium. Post varias Antiphonas cantandas, recitat Episcopus Orationes XV. super Poenitentes, dein sequitur *Absolutio*, in qua sunt tres Orationes deprecatoriæ, una indicativa. Hæc: „ Nos etiam secundùm Autoritatem nobis indignis à Domino commissam absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, ut mereamini habere vitam æternam. „ 7. Eodem die Benedictio Chrismatis. Consecratio principalis Chrismatis. 8. Ordo in Parasceve. 9. Incipit Ordo ad Catechumenum faciendum. Exorcismi super masculos, diversi ab iis, qui super foeminas. 10. Benedictio Fontis. 11. Ordo Baptismi. „ Ter mergatur infans, & post vestiatur. Si Episcopus adest, statim confirmet, & post communicet; absente Episcopo, communicet Presbyter baptizatum hac forma. Corpus & Sanguis D. N.

O J. Chri-

„ J. Christi conservet animam tuam in vitam æternam. „ 13. Benedictio carnium. 14. Visitatio infirmi. Unctionis forma indicativa. Partes corporis ægroti plures ac nunc inunguntur. Post Unctionem communicet. Preces apud moribundum: pro mortuo: 14. Oratio in Agenda mortuorum. 15. Benedictio Crucis. 16. Benedictio Crucis metallizatæ. 17. Benedictio Tabulæ itinerariæ, (seu Altaris portatilis, ut nunc loqui amamus.) 18. Ordo ad Signum Ecclesiæ benedicendum (id est Campanam) Finis. Convenit & hoc Pontificale cum Romano Ordine Hittorpico, sed hujus series alia est & uberior.

NOTA LXXIV. *De Baptismi, Confirmationis, Extremæ Unctionis Ritu, Sæculo XI.*

Sæculo XI. usitatam fuisse hic Coloniæ trinam immersionem, necdum verò adhibitam aspersionem solius capitis, discimus ex hoc Pontificali, tum ex vita Hermanni Judæi, Coloniæ circa 1124. ad Fidem Christi conversi, & in Parochia S. Petri baptizati, cujus facti ipse Scriptor & testis est Capit. 19. Vitæ suæ *editæ Lipsiæ à Carpzovio 1687.* ad calcem *Pugionis Fidei Raimundi Martini.*

„ In cæteris ad Fidem Orthodoxam pertinentibus sufficienter „ pro mea capacitate imbutus, solùm de Baptismi trinâ immer- „ sione in Nomine Sacræ Trinitatis exhibenda ex Ministrorum „ negligentia, immò potiùs ex insidiantis mihi inimici fraudu- „ lentia edoctus non fueram. Fluenta igitur vivifici fontis ingressus,

„ greſſus, & in eo ſemel contra Orientem immerſus, ſolam hanc
„ immerſionem ſuffeciſſe credebam ad antiquæ vetuſtatis reno-
„ vationem. Clerici autem Baptiſterium circumſtantes ſæpiùs
„ me mergi debere clamabant, ſed ego, qui Fonte jam recens
„ emerſeram, diſcretè eorum voces audire vel clarè, quos mihi
„ faciebant nutus, defluente nimirum hinc inde piloſo capite
„ aquâ, videre non poteram; igitur à facie deterſa manibus
„ aqua, quid vellent, audivi: ſed magno Fontis adſtrictus fri-
„ gore eorum primò voluntati non libenter obedivi. Attamen
„ blandâ Baptiſtæ mei flexus admonitione feci, quod faciendum
„ erat pro ſalute. Ratus itaque hac me ſecunda tinctione Divi-
„ nis Myſteriis ſatisfeciſſe, cœpi de Fonte velle exire. Siqui-
„ dem præ nimio ejus algore totus obrigueram. Sed Clerus
„ magnis rurſum vocibus perſtrepebat, me ad conſummationem
„ Sacramenti versùs ad Auſtrum, ſalutaribus fluentis humiliter
„ debere ſubmitti. Diabolicâ igitur fraude circumventus ſuſpi-
„ catus ſum, haberi me ab eis deriſui. Unde ſicut ille quondam
„ Naaman Syrus accepto ab Heliſæo Propheta ſepties lavandi
„ præcepto magno animi ſuccenſus furore, ac moræ totius im-
„ patiens, volebam è Baptiſterio proſilire. Sed, Deo gratias,
„ quod etſi ſe inimicus erexit, non adversùm me prævaluit;
„ Enimverò quemadmodum ille Naamus ſuorum flexus com-
„ monitione comitum, ſalutari Prophetæ Conſilio obtempera-
„ vit, ità blanda Religioſorum, qui aderant, Clericorum exhorta-
„ tio, propulſo ab animo meo concepto malæ ſuſpicionis con-
„ tagio meam in fide puſillanimitatem rorobavit.

Hinc discimus Baptisteria nostra, uti Romæ *Constantinianum* superest, fuisse profunda Lavacra, ante Ecclesiarum introitum excavata, in quæ variis gradibus descendebatur, corpus ut totum mergi & ablui posset.

Secundò Morem statim à Baptismo conferendi Sacramenti Confirmationis, quod nunc differtur ad rationis usuram.

Discimus *tertiò* iisdem licet infantibus Eucharistiam datam fuisse, quod Sæculo quinto INNOCENTIUS I. & S. AUGUSTINUS magno studio asseruere, & sexcentos circiter annos & amplius obtinuit hic usus, ut & infanti baptizato Eucharistia danda omninò judicata fuerit: in Ecclesia Græca in hanc usque diem hæc disciplina perseverat. *L. de iis, qui Mysteriis initiantur. C. VII. Cyrilli Jerosolymæi Catechesin Mystagogicam. Augustinum L. de Peccator. meritis. C. 20. & 24. Albinum de Divinis Officiis: in Sabbato Sancto:* qui & monet de Baptizatis jam & Confirmatis „Hoc providendum est, ut nullum ci-„bum accipiant, neque lactentur, antequam communicent. „Omni autem die usque in Octavas ad Missam veniant, „& communicent; parentes verò oblationes pro ipsis faciant. *Pag. 55. Editionis Hittorpiæ.* Idem docet *Rabanus Maurus Archi-Episcopus Moguntinus L. I. de Institut. Clericorum*, & necessitatem dandæ Eucharistiæ Baptizatis, sive infantibus, sive adultis probat ex Joannis VI. 53. 54. pag. 214. *ejusdem Edit.* Cæterùm quàm certa est Christi de Manducando à Fidelibus Corpore & Sanguine præceptio, tam certum est pertinere ad Apostolorum & Episcoporum curam, quando, quibus, quoties Eucharistia danda sit.

ſit. *TRIDENTINUM Seſſ. XIII. de Euchariſtia C. VII.* & *Seſſ. XXI. C. IV.* docens, parvulos uſu rationis carentes nullâ obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem.

CODEX 141. alt. 10. lat. 7. PONTIFICALE REMENSE eſt Sæculi octavi aut noni. Quod diſcimus ex §. XXVI. in quo ordinandus Epiſcopus rogatur „ Vis „ fidem & ſubjectionem Sanctæ Eccleſiæ Matri Remenſi omnes dies vitæ tuæ ſervare? Præmittitur Imago S. Mariæ, dexterâ JESUM lævâ crucis ſignum geſtantis, picta in membrana rubro-aurea. Literæ indicis, & paginæ primæ, & initiales omnium Ordinum unciales & ſeſqui-unciales ſunt auro & coloribus, & quandoque Hiſtoriis illuſtratæ.

Feria V. Majoris Hebdomadæ poſt varias formulas deprecativas ſuper poenitentes Eccleſiæ reconciliandos, una eſt indicativa & judicativa, qualis in Pontificali Colon. n. 139. diſtinguitur Abſolutio Clericorum, Laicorum, plurium, unius.

Poſt Ordinem conſecrandæ Eccleſiæ ſequuntur multifariæ Benedictiones pro Miſſis per annum & de Sanctis, ſimiles illis, quæ poſt Librum Sacramentorum Gregorii M. collectæ & editæ ſunt *Tomo II. Operum S. Gregorii Edition. Pariſ.* In Benedictione Regis lego: „ Ut Regale Solium videlicet Saxonum, Merciorum,

 „ Nor-

„ Nordan-Humbrorúmque Sceptra non deserat, sed
„ ad pristinæ fidei pacísque concordiam eorum animos
„ Te opitulante reformet; ut utrorúmque horum po-
„ pulorum debitâ sibi subjectione fultus cum digno
„ amore per longum vitæ spatium paternæ apicem glo-
„ riæ tua miseratione unatim stabilire & gubernare me-
„ reatur.

Dum deducitur ad Solium, dicit Episcopus: „ Sta,
„ & retine à modo locum, quem hucusque paternâ sug-
„ gestione tenuisti, *Hereditario* Jure Tibi delegatum.
Quæ omnia me movent, ut sub LUDOVICO PIO, CAROLO CALVO, Heredibus CAROLI MAGNI scriptum hunc Codicem judicem. *Describo Indicem:* In Nomine Domini. Incipit Liber Episcopalis. Capitula sequentis Libri. I. Ordo ad pueros signandos. II. ordo ad puerum tonsurandum. III. ordo ad Clericum faciendum. IV. ordo ad barbam tondendam. V. ordo qualiter Sacri Ordines fiant. VI. ordo Ostiarii, qualiter ordinetur. VII. ordo qualiter Lectores ordinentur. VIII. ordo qualiter Exorcistæ, IX. o. q. Acoliti, X. Subdiaconi, XI. Diaconi, XII. Presbyteri, XIII. Sermo super dictis Ordinibus. XIV. o. ad benedicendos cereos in Purificatione. XV. o. in Capite Jejunii, qualiter pœniteant. XVI. o. in ramis palmarum. XVII. o. in die Absolutionis, & de Pœnitentia. XVIII. ordo de Consecratione Chrismatis

matis

matis & Olei. XIX. ordo, qualiter agendum ſit in Paraſceve. XX. ordo, qualiter benedicatur novus ignis in Sabbato S. XXI. ordo ad benedicendam & conſecrandam Eccleſiam Dei. XXII. o. ad benedicenda omnia inſtrumenta Eccleſiæ. XXIII. ordo ad Crucem Domini benedicendam. XXIV. Ad Caſſam vel Feretrum benedicendum. XXV. Ad benedicendum Eccleſiæ Signum. XXVI. ordo qualiter conſecretur Cemiterium. XXVII. ordo ad reconciliationem violatæ Eccleſiæ. XXVIII. Ad benedicendum Altare in tabula lignea confixum. XXIX. ordo, qualiter conſecretur Epiſcopus. XXX. o. q. Romanus Pontifex. XXXI. o. ad benedicendum Abbatem. XXXII. o. ad Monachum faciendum. XXXIII. ad benedicendam Abbatiſſam. XXXIV. Ad conſecrandam Sanctimonialem. XXXV. Ad conſecrandam Laicam Virginem. XXXVI. Ad benedicendam Viduam. XXXVII. Ad benedicendum Regem. XXXVIII. ordo ad benedicendum Imperatorem. XXXIX. Ad benedicendam Reginam. XL. Ad armandum militem. XLI. Ad benedicendam Sponſam. XLII. Ad benedicendum Peregrinum. XLIII. ordo excommunicandi & abſolvendi. XLIV. Benedictio carnium in Paſcha. XLV. Benedictio pomorum. XLVI. Ad fruges novas. XLVII. Panis novi. XLVIII. Uvæ ſive fabæ. XLIX. Benedictio vini novi. L. ordo qualiter agatur Synodus.

CO-

CODEX 142. alt. 11½ lat. 9. Unc. Ordo ad visitandum & ungendum infirmum. Portio Ritualis Colon. Formula Unctionis indicativa conjuncta est deprecativæ, antecedenti & subsequenti. Sæculi XIV.

CODEX 143. alt. 12. lat. 7½ *Lectionarius* Epistolarum per annum dicendarum in Sacrificio & paucarum de Festis; demum Epistolarum de communi Martyrum, Confessorum, Virginum: in fronte Libri Imago Archi-Episcopi Nostri EVERGERI Habitu Episcopali induti, supplicis, prostrati, manibus manipulo ligatis in membrana purpureo-deaurata, in qua hæc tria Hexametra aureis literis leguutur.

Nexibus Alme Pater vitiorum solve potenter,
Paule Deo lectus, pariter tu solve reatus,
Consequar ut veniam Christo donante supernam.

Circa hanc Iconem legis aureo quadrato charactere: EVERGERUS ARCHIEPC. è regione hujus Imaginis depicta est Imago SS. Petri & Pauli, lævâ Librum gestant: Supra Tunicam, Pallium, & Stolam induti, adscriptis Græcis literis ΑΓΙΟϹ ΠΗΘΡΟϹ. ΑΓΙΟϹ ΠΑΥΛΟϹ. & hoc gemino carmine:

Præsul Evergerus, cujus sum Nomine scriptus,
Hos vocat esse suos devotâ mente Patronos.

Lite-

Literæ initiales toto libro unciales deauratæ, initia Solemnium Dierum, picturâ, & uncialibus ornantur. Liber auro & lapidibus pretiosus cinctus fuit, & vestitus, quod vacuæ lacunæ indigitant. Ætatem Libri Donator prodit: Sedit Evergerus in Cathedra Colon. ab Anno DCCCCLXXXV. ad A.C. DCCCCXCVII.

NOTA LXXV. *De Numero Librorum, Liturgiæ conficiendæ deservientium.*

Mirabitur Lector tantum apparatum Librorum pro Liturgia, cùm nostra ætas uno Libro, quem *Missalem* dicimus, omnia complectatur; sed alia est facies Liturgiæ primis duodecim Sæculis, quoad ritus & cærimonias, etsi substantia eadem sit nostræ præsenti Liturgiæ.

Liber Sacramentorum, id est, Liber, in quo continebatur Canon, & ternæ Orationes, sufficiebat Celebranti, sive is Episcopus, sive Presbyter esset.

Lectionarius, in quo Prophetiæ, Epistolæ, Evangelia erant, serviebat Subdiacono cantaturo Epistolam, & Diacono, vel Presbytero, cantaturis Evangelium.

Antiphonarius (in quo quaternæ Antiphonæ, quas vocamus *Introitum*, *Graduale*, *Offertorium*, *Postcommunio*, scriptæ erant) erat pro *Schola Cantorum*, vel Choro, non pro Celebrante sive Episcopo, sive Presbytero, qui ea non dicebat, nec legebat, ut infrà docebitur.

Psalterium [in quo Psalmi Davidici CL.] erant in mani-

bus Cantorum, & universi populi: nam in omnibus Sacrificiis quatuor Psalmi decantabantur. Unus, dum Episcopus cum Presbyteris, aut Presbyter Officians cum Clero, ingrediebatur Templum, aut è Diaconia ad Altare procedebat. Secundus Psalmus canebatur inter Epistolam, vel Prophetias & Evangelium. Tertius Psalmus canebatur interea, dum Clerus & populus panem & vinum, aliáque dona Episcopo, vel Diaconis Oblationariis offerebant. Quartus Psalmus canebatur, dum Clerus & populus Eucharistiam sumebat.

Hæ quatuor Functiones jam cessant, unde & *solæ Antiphonæ* remanserunt. Eædem Antiphonæ recitantur nunc ab Episcopo, vel Presbytero *Officiante*, à quo olim nec legebantur, nec legi poterant. Igitur hi quatuor Libri necessarii erant Sacrificio celebrando.

Hæc omnia clariùs intelligentur inspectâ formâ Veteri Ecclesiarum Nostratium.

NOTA LXXVI. *Habitus Ecclesiarum Colon.*

Ecclesiæ primo Millenario Coloniæ exstructæ sunt, *Cæciliana*, *Severiniana*, *Cunibertina*, *Gereonitica*, *Capitolina*, *Martiniana Benedictinorum*, *Pantaleonitica*.

Harum forma à *Delubris* diversissima hæc erat. Oblonga, præ quadratis, vel rotundis placebat Christianis, cujusmodi sunt Basilicæ Regum, vel Judicum Dicasteria, Aulæ publicæ.

Ædificabantur Ecclesiæ versùs Orientem, in tres partes divisæ, in *Concham*, in *Chorum*, in *Navim*.

Con-

Concha extrema, vel si vis, prima pars Ecclesiæ versus Orientem hemicyclus erat, in cujus centro stabat Ara. Cathedra Episcopi stabat in fundo hemicycli elatior, in quo sedebat Episcopus, vel Officians, facie ad populum & Clerum versâ, quo ritu Summus Pontifex sedet Romæ in Basilica Vaticana. Circum Episcopum sedebant Presbyteri Ecclesiæ. Ante Episcopum stabant Diaconi & Subdiaconi. Ante & circum Aram stabat *Clerus*: qui locus secundus, aut uti nunc loquimur, *Chorus* Ecclesiæ dicatur. Clerum dividebat *Absis*, seu Arcus, à plebe: & gradus varii infra eundem arcum. Tertia pars Templi columnis ornata, Navis erat pro populo. Ante Ecclesias erat atrium Catechumenorum & Pœnitentium.

Ab utroque latere Ecclesiæ erat *Diaconia* & *Secretaria*. *Diaconia* pro vestibus & vasis, & pro his, *qui* iis induendi erant. *Secretaria* pro libris necessariis ad Liturgiam, & pro consultationibus Episcopi, vel Decani, unde & Synodi habitæ in *Secretaria* leguntur, adeò amplæ erant.

Antiquissimæ Colonienses Ecclesiæ hanc formam referunt, hoc solo discrimine, quòd Ara peripheriæ Hemicycli nunc propior sit, quæ in ejusdem centro esse debebat.

Sanè Ecclesiæ omnes supramemoratæ, primo Millenario ædificatæ, in Hemicyclum desinunt. Episcopus, vel Presbyter, id est, Decanus, ingressus Ecclesiam, & Liturgiam orsurus, hìc sedebat, donec Clerus & populus, quisque suas sedes occupâsset, Subdiaconis, vel Diaconis, invigilantibus, ut ordine & modestè omnes intrarent & considerent.

Interim Clerus & populus canebat Psalmum, qui nunc *In-*

troitus dicitur, cujus initium ſolum nunc retinemus; Epiſcopus, vel ejus loco, Presbyter, Sacrificium facturus, ſalutabat populum jam ſuo loco conſtitutum: uſitatâ formâ: *Pax vobis*, aut *Dominus vobiſcum*, nisì ob Solemnitatem Diei = *Gloria in excelſis* præmittendum eſſet. Deinde faciebat *Orationem* nomine Univerſæ Eccleſiæ, cujus, quia vota, ſeu deſideria, præſenti diei convenientia, nomine omnium colligebat, & ad Deum perſolvebat, dicebatur hæc Oratio, *Collecta*. Hæc non nisì unica in Gregoriano Libro eſt. Si jam ex honeſto fine, vel cauſa, vel ob concurſum plurium Martyrum, eodem die, vel *votiva Miſſa* de B.M.V. alióve Sancto, aut Myſterio, aut *pro Defunctis* celebranda judicaretur, totidem Miſſæ fiebant, idque ab eodem Presbytero eodem die, v.g. Miſſa una de S. Sebaſtiano, *altera* de S. Fabiano, *tertia* occurrentis Officii de tempore, *quarta* Votiva de Domini Paſſione &c. *quinta* pro Defunctis &c. Idem obſervat *Menardus in Notis ad Librum Sacramentorum*, v.g. in Die Cœnæ Domini fiebant tres Miſſæ, ùt nunc apud Nos in Die Nati Domini: Die SS. Petri & Pauli duæ ab eodem Pontifice, prima in Eccleſia Petri, ſecunda in S. Pauli. pag. 405. 327. *Tomo III. Operum S. Gregorii.* De miſſa gemina Matutina & Veſpertina eodem die fieri, ſolita vide *Illmum BARONIUM in Præfat. ad Martyrol. Rom.*

S. Norbertus die quodam primò Miſſam B.M.V., ùt in Sabbatis fieri ſolet, celebrabat, deinde Miſſam illorum Defunctorum, quorum mors extitit cauſa odii, quod pacificare volebat. *Die VI. Junii, pag. 890. in Actis SS. Antverp.* S. Aybertus Presbyter hoc eodem Sæculo XII. duas Miſſas quotidie celebrabat, alteram pro Vivis, alteram pro Defunctis. Vide *diem VII. Aprilis in Act. SS.*

in

in Vita ejusdem. Vide & VValafridum Strabonem. Cap. XXI. pag. 344. 345. Edit. Hittorp.

Post Collectam ab Episcopo cantatam, Subdiaconus ascendebat Ambonem, non prope Altare, nec facie versâ ad cornu Epistolæ, sed ad populum, & Epistolam, aut aliam ex V. aut Novo Testamento assignatam Lectionem legebat.

Hic Ambo erat in Cancellis vel Cancellato & transparente Odæo [loco Scholæ Cantorum proprio, quod nunc Musici occupant] quo Clerus à populo dividebatur: cujusmodi Cancelli & Odæa supersunt in Ecclesiis *Severinianâ*, *Gereoniticâ*, *Capitolinâ*, & *Georgianâ*, licèt hæc post primum Millenarium ædificata fuerit: & in hoc Georgiano Odæo etiamnum superest *Ambo cum pulpito:* in cæteris Collegiatis Ecclesiis Colon. similia Odæa & Cancelli adhuc erant ante annos 50., nunc Odæa sublata, Cancelli elegantiores & patentiores substituti. Post Epistolam, ne continuâ lectione fatigaretur Populus, *Antiphona* & *Psalmus* à Schola Cantorum & plebe canebatur. Psalmus adhuc integer superest in Dominica Septuagesimæ, Psalmus: *De profundis*. Dominicâ I. in Quadragesima Psalmus: *Qui habitat*. In cæteris initium Psalmi retinuimus.

Graduale dicitur, eò quod è navi Ecclesiæ ad Chorum per gradus ad hoc canendum ascendebatur, ut patet in pluribus Colon. Ecclesiis; Severinianâ, Gereoniticâ, & in Gradibus, aut supra gradus Odæum erat structum Evangelio cantando: quale in Ecclesia Metropolitana Nostra præsente extat, cinctum multis Statuis Angelorum candelabra gestantium, inter quæ accensa

Diaconus Evangelium versâ ad populum facie & voce canebat.

Post Evangelium, Sermo ab Episcopo, interpres Evangelii & lectarum Scripturarum. Post Sermonem Catechumeni, Poenitentes, Energumeni, ex Ecclesia excludebantur per Subdiaconos & Ostiarios in Vestibulum ante Ecclesiam, cujusmodi Atria Basilicæ *Gereonitica*, *Capitolina*, & *Pantaleonitica*, & *Cæciliana* adhuc habent.

Collegiata Apostolorum, licèt postrema ejus structura Sæculum XII. attingat, attamen insigne Atrium Catechumenorum habet. Ecclesia Nostra Metropolitana præsens, licèt Sæculo XIII. medio extructa; vastum tamen atrium pœnitentium habet, quod geminatæ ternæ portæ faciei Occidentalis, quâ intratur, adhuc ostendunt, Pœnitentium & Catechumenorum usui destinatum, inter duas turres Occidentales medium.

Clausis portis, Sacrificium facturus ipse Sacrificans primus panem & vinum, dein Clerus, demum populus, viri, fœminæ offerebant. Quæ quandoque ipsus Episcopus, aliàs Presbyteri aut Diaconi recipiebant, & Archidiaconus in Altari componebat, & Sindone obtegebat.

Ea, quæ præter panem & vinum offerebantur à Fidelibus, vel pro ornatu Ecclesiæ, vel pro alimentis Cleri, pauperúmve, vel pro usu ipsorummet offerentium, utì *fruges novæ*, &c. in alia mensa ponebantur, & sub finem Sacrificii benedicebantur.

Huic cærimoniæ, quæ nonnullum tempus postulabat, sanctifi-

ctificandæ, canebatur à Schola Cantorum Pſalmus, cujus Antiphonam, nunc retentam, vocamus *Offertorium.* Factâ oblatione panis & vini, Epiſcopus conſecranda offerebat, dein & incenſum adolebat, veluti *Symbolum Orationis* Eccleſiæ ad Deum aſcendentis, demùm ſuper Oblata orationem faciebat.

Succedebat *Præfatio:* quæ non tantùm, uti hodiedum, decuplex eſt, ſed multifaria erat pro temporum & feſtorum varietate, ut Libri *Sacramentorum* à Pamelio, Menardo, & Martene editi docent.

Præfationem excipiebat *Canon,* ſub quo Orationes pro univerſa Eccleſia, ſpeciales pro vivis & defunctis, communicatio cum precibus Sanctorum Eccleſiæ triumphantis, demum Conſecratio oblati panis, & vini. Oratio Dominica, Oſculum Pacis, quod tamen in nonnullis Eccleſiis ante Præfationem dabatur invicem viris à viris, fœminis à fœminis.

Communio Corporis & Sanguinis, quia ordinariè omnibus, aut multis præſentibus dabatur, tempus poſtulabat, cui molliendo à Schola Cantorum Pſalmus Davidicus canebatur, cujus Antiphonam duntaxat retentam vocamus: *Poſtcommunionem.*

Diſtributo Sacramento Epiſcopus Orationem ad Deum pro populo, quem prius ſalutabat, dicebat, quæ in Gregoriano uti & Colonienſi dicitur *Complenda,* vel ad *Complendum,* vel *Poſtcommunio;* & ſupponit ex veteri ritu, omnes vel pleroſque fuiſſe *refectos, ſatiatos, paſtos, cibo potúque cæleſti.*

Benedictio, quæ ſeu ab Epiſcopis, ſeu Presbyteris datur, uniformis nunc eſt. Ea multiplex, & diverſiſſima in veteribus noſtris Ms.

Mſs. & editis eſt, ac pro temporum, feſtorúmque diſcrimine alia & alia, & eodem die multiplex, & prolixa. *Evangelium* Joannis ex recentiori more Liturgiam noſtram claudit.

Hinc jam videt Lector, cur diverſis perſonis, Liturgiæ inſervientibus, ſui ſeorſim Libri ſcripti fuerint, & tot diverſi Codices Mſs. in hac Bibliotheca reperiantur, uni Liturgiæ deſtinati; quos nunc deſcribere pergo.

CODEX 87. *a.* alt. 10½ lat. 8. Unc. *Lectionarius*, in quo Epiſtolæ & Evangelium de tempore, & de feſtis, & de communi per annum diſpoſitæ leguntur ſecundùm ritum Colonienſem. Sæculi X.

CODEX 56. *b.* alt. 14. lat. 11. *Capitulare Evangeliorum de Circulo anni.*

CODEX 14. *b.* alt. 12½ lat. 9. *Capitulare Evangeliorum de circulo anni.*

Continent hi duo Codices *Indicem*, quo Evangelia deſignantur, Dominicis, Feſtis, & ferialibus diebus per annum cantanda, & ideo in duodecim menſes diſtributa. Inchoatur à Vigilia Nativitatis Domini, uſque ad hebdomadam quintam ante Natale Domini incluſam; ſed Diviſio Dominicarum planè ſingularis eſt, neque Romano, neque Colonienſi Miſſali conveniens, etſi Evangelia Colonienſis Miſſalis Evangeliis reſpondeant.

Verùm

Verùm Stationes Ecclesiarum, in quibus Liturgia facienda, designatæ persuadent potiùs Romano Missali convenire oportere.

Hæc observo: post Theophaniam numerantur decem hebdomadæ cùm Evangeliis suis pro Dominicis, feriis quartâ & sextâ, veluti pro mensibus Januario & Februario. Dein Evangelia pro Dominicis Septuagesimâ, Sexagesimâ, Quinquagesimâ & Quadragesimâ, cujus sequentibus feria IV. VI. & Sabbato ponuntur quatuor tempora & jejunia *primi Mensis*: sic enim Martium compellant Ecclesiastici Liturgici. Etsi, jam à Julio Cæsare & Augusto Martius fuerit mensis tertius anni, uti & nunc est; Junius *sextus*, Liturgicis *quartus* &c. Dominicæ post Pentecosten non numerantur serie continuâ usque ad Adventum: sed per Menses, & primo quidem usque ad *Natale Petri & Pauli*, tum usque ad *Laurentii*, deinde Dominicæ post S. Laurentii ad Dominicam primam Octobris & Dominicam I. Novembris.

Adventûs Evangelia per Dominicas quinque ordine retrogrado numerantur, ità, ut quinta ea sit, quæ nobis est Dominica ultima post Pentecosten.

NOTA LXXVII. *De Codicibus Evangeliorum cum hujusmodi Capitulari.*

Simile Capitulare, seu Indicem, designantem Evangelia in Missis

per annum cantanda, habent antiquiſſimi Codices quatuor Evangeliorum continuo contextu ſcriptorum, antequam Evangelia Dominicarum excerpta & diviſa ſeorſim ſcriberentur. Iſtiusmodi Codex membranaceus in Collegiata Baſilica S. M. V. ad Gradus, de quo *Notatione octava b.* actum fuit.

CODEX 144. alt. 8. lat. 6. *Evangeliarius* ſive Evangelia per annum, literæ initiales deauratæ. Codex Sæculi IX. vel X.

CODEX 145. alt. 13. lat. 9½ Similis Evangeliorum Liber, charactere acuminato Gothico. Sæculi XII.

NOTA LXXVIII. *De ſimilibus Codicibus.*

In Collegiata S. Andreæ Baſilica Evangeliorum Codex eſt, cujus latus adverſum laminâ argenteâ coopertum, prominentem argenteam Iconem Salvatoris præ ſe fert ſedentis, & Evangelium apertum monſtrantis. Quatuor angulos extremos ornant Symbola argentea Evangeliſtarum prominentia. Character Gothicus Sæculi XIV. Evangelia Colonienſis Eccleſiæ ritu & ſerie digeſta ſunt.

Collegii Colon. Soc. Jeſu Bibliotheca habet Codicem membranaceum vetuſtiſſimum fortè, quem in hoc genere Colonia habet. Patet id primò ex charactere minuto quidem, ſed parùm à quadrato abeunte. Ex initio libri picturis permultis & pretioſis in membrana modò rubro- modò cæruleo - deaurata. In fronte libri Imago Salvatoris ſedentis habitu Magiſtri. Icones quatuor

Evan-

Evangeliſtarum, calamis & atramento Volumina ſcribentium ſub conopæis. Similis pictura ante Feſta majora, & myſteria Vitæ Chriſti: ſed Inventio S. Stephani Proto-Martyris plurimis Iconiſmis explicatur, quæ omnes Sæculum octavum redolent, & quod membrorum humani corporis proportioni decedit, hoc auri & colorum vivacitas ſupplet. Diceres nuper picta, quæ vides. Non tantum literæ initiales Evangeliorum aureæ & Unciales ſunt, ſed ſinguli periodi ab aurata literula inchoantur. Differt & hic liber in pauciſſimis ab Serie Evangeliorum Colon. Eccleſiæ. Non dubitamus in pluribus Eccleſiis & Bibliothecis Colon. hujusmodi vetuſta Volumina Mſs. ſupereſſe, quorum innoxia inſpectio ſi concederetur, plurimùm prodeſſet Liturgicæ Hiſtoriæ & criſi augendæ: & Dominis Librorum nil obeſſet, imò prodeſſet plurimum.

CODEX 146. alt. 11½ lat. 7½ Unc. Incipiunt Capitula Lectionum (Index) „In Nomine Domini Jeſu Chriſti, „in hoc continentur Explanationes excarpſatæ Lectio- „num, ſive Epiſtolarum, Dominicis diebus ſeu Feſti- „vitatibus, nec non & Ferias à Vigilia de Nativitate „Domini horâ nonâ uſque in Aſcenſa Domini. Id eſt, „Pars prima Lectionarii. Sæculi X.

NOTA LXXIX. *De Hora Miſſæ dicendæ.*

Videtur primo Millenario Miſſa non fuiſſe dicta ante horam à Solis ortu tertiam, quæ noſtræ *Nonæ* matutinæ reſpondet,

tum horâ ſextâ ordinariè, quæ noſtræ duodecimæ, horâ nonâ in Semijejuniis, quæ noſtræ tertiæ pomeridianæ: in magnis autem Jejuniis horâ veſpertinâ Miſſa inchoabatur. Hujus moris myſticas cauſas, qui ſcire cupit, legat *Amalarium Lib. III. & IV. de Eccleſiaſt. Officiis pag. 178. & 219. Edition. Hittorp.* Nos Hiſtoriam ſectamur.

Jam in Veſpere Sabbati Sancti Miſſam inchoatam fuiſſe nocte ingruente, Orationes quæ ſuperſunt, manifeſtè docent, idem Sabbato ante Pentecoſten factitatum AMALARIUS meminit.

Sabbatis quatuor temporum Miſſa non niſi nocte irruente celebrabatur. Unde Dominica ſequens *vacabat*: quia Celebratio Ordinationum juxta Decreta Sanctorum Patrum tam ſerò fiebat in Sabbato, ut potiùs Dominicæ, quàm Sabbato adſcriberetur. *Ratio hæc eſt Micrologi cap. 29. pag. 395. Edition. Hittorp.* Unde Miſſæ harum quatuor Dominicarum in antiquiſſimis Sacramentariis nullæ: quia Miſſa, Lectio XII. Prophetarum, & Ordinatio à Veſpere Sabbati in Dominicam protrahebatur: & Stilo Eccleſiaſtico Dominica à Veſpere incipit, non à luce matutina ſequente: unde Miſſæ pro his quatuor Dominicis ſeriùs ſcriptæ & adinventæ ſunt. *Schultingius Biblioth. Eccleſ. Tom. III. part. I. p. 33.*

Nunc enim Sabbatis quatuor temporum manè conferuntur Ordines: at Jejunium ſolvitur horâ ſextâ ſeu duodecimâ meridianâ Sabbati, quod olim nonniſi poſt Sacrificium & Ordinationes veſpere, imò noctu, celebratas ſolvebatur.

CODEX 88. *a. b. c.* alt. 11. lat. 9½ Litania vetuſta. Orationes & Confeſſio Sacerdotis ad Miſſam ſe parantis.

Ora-

Orationes ternæ pro quibusdam Miſſis propriis Sanctorum.

CODEX 147. alt. 20. lat. 12. *Miſſale Colonienſe*, Pars Hyvernalis à Dominica prima Adventûs, ad Dominicam Trinitatis, charactere Gothico. Litteræ initiales deauratæ, nitidè conſervatæ. Sæculi XIV.

CODEX 148. alt. 20. lat. 12. *Miſſalis Colonienſis* Pars Æſtiva. Sæculi XIV.

CODEX 149. alt. 20. lat. 12. *Canon, ſeu Ordo Miſſæ* ſolemniter cantandæ cum Præfationibus multifariis. In capite libri lego „Anno Dni Milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, X. Kal. Martii obiit D. CONRADUS DE RENNENBERG, Decanus Eccleſiæ Colon. qui legavit hunc Canonem Eccleſiæ ſuæ prædictæ pro memoria æterna, cujus anima per Dei miſericordiam requieſcat in pace.„ Ætas Libri eadem, quæ Donatoris.

CODEX 150. alt. 17. lat. 12. Uncias. *Canon Miſſæ.* Sæculi XIV.

CODEX 151. alt. 12. lat. 9. Præparatio Sacerdotis ad Sacrificium, Canon Miſſæ cum picturis delicatiſſimis. Variæ Miſſæ de tempore & de Sanctis. Sæculi XV.

152. Fragmentum *Missalis*, in quo variæ Præfationes. Canon: nonnullæ Missæ. Codex in 8vo.

CODEX 153. in 8vo. Directorium Breviarii & Missæ tempore Paschali. Lib. Sæculi XVI. mutilus in fine.

CODEX 154. *chartaceus* in folio alt. 12. lat. 9. Uncias. *Ordinarius Majoris Ecclesiæ Coloniensis*, sive Director Rubricarum, ùt nunc dicimus, per totum annum: In prima pagina legis: „ Hunc Libellum ego Joannes Schal- „ horn, aliàs Speys, de Andernaco, Vicarius Altaris S. Alexii „ in Majori Ecclesia Coloniensi practicavi & ordinavi in „ istas regulas inferiùs scriptas ex meo ingenio & arte. In- „ cepi pro Anno Domini 1488. finivíque Anno Domini „ 1493.

CODEX 155. *chartaceus* alt. 12. lat. 9. Uncias *Missale variarum Missarum.*

CODEX 156. *chartaceus* altus 11. latus 8½ de Officio Missæ.

CODEX 157. alt. 10. lat. 7. Ordo Missarum per annum. Præmittitur Canon indagandæ Diei Septuagesimæ, Paschatis, Pentecostes, Diei S. Joannis Baptistæ Natalis, Dominicæ primæ Adventûs, & dierum intermediorum, calculo ducto ab Anno MXCI. ad Annum

num MDXCV. calculatus. *b*. Sequitur Kalendarium, in quo multi Sancti, in Colonienſis Eccleſiæ Officio Canonico non memorati v. g. VII. Januar. S. Luciani Presbyt. & Mart. XI. Januar. S. Archadii M. ad XII. Januar. Octavæ Epiphaniæ, Hilarii & Remigii &c. Videtur autem Kalendarium & Liber eſſe Eccleſiæ Leodienſis, quæ eſt prima Suffraganea Noſtræ Metropolitanæ. Nam feſti dies SS. *Lamberti*, *Huperti*, *Servatii*, *Remacli*, rubro charactere pinguntur. Gemina Translatio S. Lamberti notatur. Altera 28. Aprilis, altera 23. Decembris. 30. Maji ſignatur Translatio S. Huperti. *c*. Tertio loco præparatio prolixa ad Miſſam. 4to Ordo Miſſæ, in qua Oratio ſuper oblata: *Suſcipe Sancta Trinitas*: gemina eſt, una pro vivis, altera pro mortuis. Canon Miſſæ inchoatur duplici Icone Chriſti in membrana purpureo-cærulea limbo aureo cincta. In prima pingitur Habitu Doctoris, Librum manu geſtans, in ſecunda affixus Cruci inter Mariam & Joannem: literæ initiales majores rubro minio decoratæ. Ante Memento mortuorum duæ Orationes leguntur, una *ſuper dypticio* (id eſt dyptychis 3. Libellis Tabellâ geminâ clauſis, quibus Fundatorum ſeu Benefactorum nomina inſcripta ſervabantur) altera poſt lectionem nominum. 5to Continet Miſſale Leodienſe, ſive Officium de tempore, ternis Orationibus pro Miſſa, deinde Sanctorum, demum de Communi.

Epi-

Epiſtolæ & Evangelia hìc abſunt, in *Lectionario* quærenda, utì Antiphonæ in Antiphonario, Pſalmi in Pſalterio. 6to Demum habet Benedictiones diverſas pro diverſis Miſſis per annum. Liber videtur Sæculo XI. in Eccleſia Leodienſi & pro ea ſcriptus, Gothico charactere.

NOTA LXXX. *Demonſtratio Antiquitatis Liturgicæ Catholicæ.*

Nequeo ſuperſedere Argumento invicto pro Vetuſtate & Sanctitate Liturgiæ Catholicæ demonſtrandis, quod apud SALENTINUM Electorem noſtrum indicat Decanus HITTORPIUS poſt prolatos tot, tam luculentos à mille & pluribus annis Teſtes, Scriptores, criticos Collectores Liturgiæ Catholicæ, & Anno 1568. Coloniæ primùm in lucem editos, & eos bene multos ex Codicibus hujus Metropolitanæ Baſilicæ. Quod Argumentum mirificè confirmatur, quum omnes Catholicas Bibliothecas Europæ nobis ſuffragari vidimus, & Codicibus Mſſ. *Sacramentariis*, *Lectionariis*, *Ordinationibus* in lucem editis ab FERRARIO, MENARDO, MORINO, MARTENIO, BONA, THOMASIO, MABILLONIO, & nunc Romæ ab ASSEMANNO & AZEVEDIO, qui univerſos Ritus Catholicæ Eccleſiæ, nedum Latinæ, ſed Græcæ, Syriacæ, Cophthicæ, Ægyptiacæ editis, & edendis Libris corroborare pergunt.,

Fingamus neminem Hiſtoricum, neminem SS. PP., nullum Con-

Concilium de Missa nostra, ejúsque Ritibus quidquam docuisse, decrevisse, meminisse. Hæc totius Orbis consententia Missalia, quæ Gregoriano & Gelasiano Canoni quoad substantiam & quoad verba concinunt, quid clamant, nisì Unam fuisse omnium Catholicorum, omni Sæculo, in omni loco Fidem de Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi?

Jam quanti & quales Viri sunt horum Rituum Observatores, Judices, Custodes, Vindices! GELASIUS & GREGORIUS I. Magnus optimo jure dictus & Orientali Ecclesiæ Venerandus. S. ISIDORUS Hispalensis Archi-Episcopus, ALBINUS, Caroli Magni Magister, AMALARIUS Treverensis Archi-Episcopus, RABANUS Archi-Episcopus Moguntinus, WALAFRIDUS, BERNO, RUPERTUS Abbates.

Adamus Græcorum *Liturgias S. Jacobi*, *Basilii*, *Chrysostomi*, Eorundem *Synaxaria*, *Euchologia*, *Typaria* ab ARCUDIO, GOARIO, LEONE ALLATIO, MORINO edita, Latinæ Liturgiæ consentientia. Aut hæc est demonstratio invariatæ & perennis per XVIII. Sæcula Catholicæ Fidei de Sacrificio incruento, ejusdémque usu, ritu: aut nulla est demonstratio cujusvis facti possibilis.

A contrario id patebit. *Matthias Flaccus Illyricus* inter Centuriatores Magdeburgicos, incidit in Codicem antiquum Ms., quo Missa Latina continebatur; eam Argentorati Anno MDLVII. edidit, opinatus eam esse, quâ Gallicanæ & Germanicæ Ecclesiæ usæ priùs fuissent, quàm Romanæ Ecclesiæ Ritum suscepissent. Eâdem Operâ putabat se magnam labem & dolorem

inferre Catholicis veluti Avitorum Sacrorum Desertoribus. At Protestantes, quum viderent eâ Missâ omnia tunc controversa dogmata, *realem Christi in Sacramento præsentiam*, *Sacrificium Missæ*, *Orationes pro mortuis*, *Sanctorum Invocationem* &c. confirmari, damnârunt imprudentiam Illyrici, & quotquot valuêre corradere Exemplaria, combusserunt.

Sed nil egerunt: supersunt in Bibliothecis Catholicorum Exemplaria, & Eminent. Cardin. BONA post Libros *de Rebus Liturgicis* eandem denuò edidit. Unde Orbis Literatus jam certus est, hanc ab Illyrico excusam Missam nec Gallicanam fuisse, nec Germanicam ante Sæculum VIII. usitatam, sed esse Romanam pauculis demptis, quæ ad substantiam non pertinent. Emin. BONA L. I. de Reb. Liturg. c. XII. Utinam agnoscerent heterodoxi hanc perpetuam Orientis & Occidentis Ecclesiæ concordiam in fide & usu Sacrificii incruenti, Ordinis Episcopalis & Presbyteralis, demùm quis sensus sit & fuerit totius Ecclesiæ per XVIII. Sæcula, in explicando & prædicando cap. VI. Joannis, collato cum verbis ultimæ Cœnæ Domini? Nullum profectò Catholicæ Fidei Articulum potentiore & evidentiore Demonstratione Historicâ, quàm hunc de Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi corroboratum & solidatum fateri debebit, quisquis veritatem amat & quærit.



CLAS-

CLASSIS QUINTA.

CODICES HISTORICI.

CODEX 162. alt. 16. lat. 11. Uncias. FLAVII JOSEPHI Antiquitatum Judaicarum Libri XIII. Sæculo XV. exarati.

CODEX 163. alt. 16. lat. 11. Ejuſdem Libri reliqui Antiquitatum Judaicarum à Libro XIV. ad XX. Deinde Belli Judaici Libri VII. manu Sæculi XV. ſcripti.

NOTA LXXXI.

FLAVIUS JOSEPHUS Mattathiæ Filius, maternum genus ducebat ex Haſamonæorum Stirpe, Sectâ Phariſæus & Sacerdos, idem Bellidux, Hiſtoricúsque Gentis ſuæ celeberrimus. Natus fuit Anno Chriſti XXXVII., captus in Caſtro Jotapata, Anno Chriſti LXVII. Veſpaſiano mortem Neronis & Imperium prædixit, inde Romam ductus, & benevolè habitus, res ſuo tempore geſtas, Gentis autem ſuæ à prima origine Hiſtoriam contexuit. Creditur ad Domitiani extrema tempora, Æræ Chriſtianæ Annum XCIII. vivendo perveniſſe. De eo SS. PP. juxta ac alii Autores ſæpè cum laude meminêre. At *JACOBUS SALIANUS S. Jeſu in Annalibus Veteris Teſtamenti* plurimis in

 locis

locis accusat & arguit Josephi Historiam, ut quæ Mosaicæ, cæterísque V. Testam. Historiographis adversetur, multa in Chronologiam veram peccet, Genti suæ aduletur. *CARDINAL. NORISIUS*, & *HARDUINUS in Chronologia Veteris Testam.* multos Para- & Anachronismos Josephi ostendunt. *FRANCISCUS PAGI in Apparatu Chronologico ad Annales Baronii* n. XCVIII. & CLIII. eundem tuetur, & perperam severiùs excipi queritur. Testimonium Josephi de CHRISTO Lib. XVIII. Antiquit. à Veteribus laudatum nequaquam suppositi tium esse docet *in Critica Baronii* ad A. C. 32. n. XV.

CODEX 164. alt. 10. lat. 7. Unc. ANASTASII Bibliothecarii Vitæ Pontificum Romanorum à S. Petro usque ad Eugenium PP. juxta Indicem, sed reapse nonnisi ad Stephanum IV., qui Paulo I. successit: Stephani autem Vita mutila est. Sæculi VIII. aut IX. manus videtur, atramentum varium.

NOTA LXXXII. *De vero Autore hujus Libri.*

DAMASUS post Liberium sedit in Cathedra S. Petri annos XVIII, Menses 2, dies 10. Fato functus Anno CCCLXXXIV. Inter ejus Sanctissimi juxta ac Doctissimi Pontificis Opera Romæ anno 1638. Typis Vaticanis *à Martio Milesio Sarazanio* prudenter est omissus Liber de *Romanis Pontificibus*: nam eum jam dudum Catholici Critici Damaso abjudicarant, & propter S. Hieronymi coævi silentium, & propter stili barbariem ab eleganti ingenio Ponti-

Pontificis diversam, & propter consularis Æræ tunc notissimæ imperitiam: quæ pluribus ostendit *SCHELESTRATE Dissert. prævia Capite secundo. LABBE Dissert. Histor. de Scriptor. Ecclesiast. PAGI in Critica Baronii ad annum 384. NATALIS ALEXANDER Sæculi IV. cap. VI. art. XVIII.*

Nec Epistolæ Hieronymi ad Damasum, & hujus ad illum, quæ in nostro Codice Ms. præmittuntur, vindicant hoc Opus Damaso; cùm eas ipsas Epistolas supposititias, & ab utriusque Scriptoris stilo ac judicio remotissimas esse, Critici viderint. Verùm his omnibus spretis, non ideo hic Catalogus Damasi reprobandus est, eo quod è Pontificum Catalogis antiquissimus, ut ut interpolatus, & auctus, & consulum Anachronismis fœdatus sit.

Damasi Catalogum purum, qui nonnisì ad LIBERIUM Damasi Antecessorem pertingit, ediderat *CUSPINIANUS in Fastis suis, BUCHERIUS in Commentario Canonis Paschalis* pag. 269. *HENSCHENIUS Tomo I. Aprilis* cum Commentario accurato, éique subjiciens Catalogum uberiorem Pontificum, tempore Justiniani scriptum, Annotationibus illustratum.

Uterque hic Catalogus fundamentum fuit, cui ANASTASIUS S. R. E. Bibliothecarius, id est, Cancellarius inædificavit Historiam de Vitis Romanor. PP. à S. PETRO ad sua tempora, putà NICOLAI I. HADRIANI II. JOANNIS VIII. PP., sub quibus floruit, non tamen omnium Vitarum, quæ in ejus Codice leguntur, Scriptor est: *Judice Natali Alexandro Sæculo IX. c. III. art. XIX.* Editus fuit ANASTASIUS Mo-

guntiæ Anno 1602. ex Bibliotheca Cl. MARCI VELSERI. Typo *Joannis Albini.* Rmus BINIUS *in secunda Editione Conciliorum* anno 1618. Vitas Pontificum, vel ex hoc Codice nostro Ms., vel ex impressis mutuatus est: & falsò hunc Codicem inscribi *Pontificale Damasi* adnotat: non esse autem id omninò falsum ex antedictis liquet. Noster Ms. Codex, etsi Epistolas Hieronymi & Damasi præmittat, nullum tamen nomen Autoris præ se fert, sed hoc pacto inchoatur „Incipiunt Nomina Beatorum „Pontificum Sanctæ Apostolicæ Sedis„ I. B. Petrus. II. Linus, III. Cletus. IV. Clemens &c. usque ad Eugenium II. Tum aliâ manu adhuc novem PP. Nomina signantur: *In Dei Nomine incipiunt Gesta suprascriptorum Pontificum*, sed Codicem Nostrum Anastasii esse Opus, liquet, si cum edito Moguntino conferatur. In Stephano IV. circa A.C. 769. desinit mutilatus.

CODEX 165. alt. 11. lat. 8. Unc. *Apophthegmata Sanctorum Patrum Eremitarum* ex Græco Latina facta. Liber Sæculi VII. canitiem & characteres præ se ferens. Mutilus in fine.

NOTA LXXXIII.

Editus fuit hic Liber ab HEREBERTO ROSWEYDO S. J. Anno 1678. vasto in Opere, quod *Vitæ Patrum* seu Historiæ Eremiticæ Libris X. inscribitur. Hujus Operis Liber V. exhibet Apophthegmata Patrum ex Græco Authore incerto Latina facta à Pelagio S.R.E. Diacono. Divisit Librum hunc Rosvveydus, forte Duce suo Manuscripto in Libellos XVIII. de totidem

tidem Virtutibus: noſter autem Codex diviſionem non habet. Continet noſter Codex decem primos Libellos: & in Libelli decimi Apophthegmate 69no deſinit, apud Rosvveydum pag. 603.

THEODORICUS LOHER à STRATIS Cartuſiæ Colonienſis Vicarius Literatiſſimus anno MDXLVI. adornavit Editionem de *Vitis Patrum Eremitarum* primam, alteram anno proximo, è *Typographia Gaſparis Gennepæi*, quas ex antiquiſſimis Mſs. Codicibus inter ſe collatis, repurgatis, in ordinem digeſtis luci dedit, ſtrenuus Orthodoxæ Fidei Propugnator, & Vitæ Eremiticæ Encomiaſtes. Loherium excepit Rosvveidus, pluribus Mſs. adjutus, quibus emendatior editio, & criſi uberiore locupletata prodiit.

CODEX 84. *b.* alt. 19. lat. 12. Unc. Vita S. MARTINI.

CODEX 166. alt. $11\frac{3}{4}$ lat. 9. CENSORINUS de Die Natali Liber vetuſtiſſimus, quarti Sæculi Scripturæ Romanæ quadratæ proximus. Græca ſine accentûs impoſiti nota, initiales literæ quadratæ.

NOTA LXXXIV.

CENSORINUS anno Urbis conditæ 991. ULPIO & PONTANO COSS. anno Æræ noſtræ CCXXXVIII. Romæ florebat inter Grammaticos & Philologos; illuſtris Libellus hic de Die Natali ad Q. Cerellium Equeſtris Ordinis Virum ſcriptus eſt, quem cap. XV. *Sanctiſſimum* vocat, *eúmque Officiis Municipalibus*

palibus functum Sacerdotiique honore inter Principes suæ Civitatis conspicuum fuisse testatur. *Fabritius Bibliotheca Latina L. III. pag. 537. & seqq.*

CODEX 167. alt. 8½ lat. Unc. Biographia variorum Sanctorum: S. JACOBI MAJORIS, SIMONIS, JUDÆ, BARTHOLOMÆI, MATTHÆI, JACOBI MINORIS, THEBÆORUM MARTYRUM, FRANCISCI, ALEXII &c. nullo ordine, vel temporis, vel alphabetico, vel statuum. Liber Sæculo XV. scriptus videtur.

NOTA LXXXV.

Quantum hæ Vitæ distent vel conveniant cum Vitis, quas SURIUS aut Hagiographi Antverpienses edidêre, prolixioris indaginis erat, quàm ut nunc sollicitè disquireretur.

CODEX 81. *b.* alt. 10. lat. 7½ Uncias. PRUDENTII Carmina, quæ nuncupantur HISTORIÆ VIRORUM ILLUSTRIUM cum commento interlineari. Liber Sæculi XI. *De eo actum Classe secundâ.* Verùm quia Martyrum memoriam Ecclesiæ servavit, & Poëtæ & Sacri Scriptoris & Historiographi laudem meretur.

CODEX 106. *b.* alt. 13. lat. 9. Catalogus Provinciarum Galliæ, ante Sæculum septimum cum Litaniis antiquissimis, quæ Sæculo octavo aut nono scriptæ & decantatæ videntur.

CO-

CODEX 32. *b.* alt. $12\frac{1}{2}$ lat. 10. Unc. Catalogus Imperatorum ab AUGUSTO ad JUSTINUM. Videtur contextus, partim Sæculo IX, partim XI. In fine eſt hæc annotatio „ Anno ab Incarnatione Domini Milleſimo XXXI. „ Indictione XV. à Feſtivitate S. Michaëlis Archangeli „ fuerunt imbres & pluvia toto tempore. „ Sed inde non arguo ætatem Libri, qui longè vetuſtior videtur.

CODEX 146. *b.* altus 12. lat. 10. In extremo Codice legitur Litania Sæculo VII. vel VIII. uſitata. Quò & Librum refero, nisì ad Sæculum nonum promovendus cuipiam videatur.

CODEX 138. *b.* alt. 20. lat. 13. Kalendarium & Supputatio Epactarum: ubi ad annum MCXXXVIII. adnotatur: „ Iſto anno perfectus eſt iſte Liber. „

CODEX 83. *c.* alt. 16. lat. 12. In fronte Libri optatiſſimus titulus: „ Codex S. Petri ſcriptus ſub pio Patre Hildebaldo Archi-Epiſcopo. „ Poſt Præfationem de Chronologicis ſequitur Chronica ISIDORI JUNIORIS, tum Arithmetica, Geometria, & Kalendarium Eccleſiaſticum........ Incipiunt Lectiones, ſive Regulæ computûs. Kalendarium rariſſimum referens faciem Sæculi VII. Incipit Prologus BEDÆ *de Libro Computo.* DIONYSII EXIGUI de Annis communibus & Emboliſmis.

CODEX 45. *b.* alt. 14. lat. 10. Kalendarium antiquissimum.

CODEX 103. *b.* alt. 12. lat. 8. Kalendarium, in quo mentio paucorum Sanctorum, publico cultu eo tempore honoratorum.

CODEX 88. *b.* alt. 11. lat. 9½ Kalendarium perantiquum.

CODEX 154. alt. 11½ lat. 9½ Kalendarium.

CODEX 102. *a.* alt. 12. lat. 9½ Kalendarium antiquissimum Ecclesiæ Coloniensis. Dein Cycli Dionysii novem Decennales viginti septem ab Anno Christi DXXXII. ad Annum MXLIV. Deinde varios BEDÆ Libros, sed mutilos pænè omnes, ad Chronologiam pertinentes leges.

Primus est Venerabilis BEDÆ Liber *de Natura temporum.* Extat Tomo II. Operum Bedæ edito Coloniæ 1612: mutilatus primo & secundo Capite, & tertii Capitis initio. Alter est fragmentum Libri *de Natura rerum.* Tertius Libellus Bedæ *de Tonitruis* ad Herenfridum, copiosior impresso Tomo I. p. 388. Quartus Bedæ Liber *de sex Mundi Ætatibus*, qui inter ejus Opera Tomo II. pag. 103. extat, unà cum Additamento ad Bedam de sexta Mundi Ætate. Idem in Additamentum Basileensi editione legi-

legitur, sed ex Coloniensi studiosè rejectum, quia Bedæ non est. Demùm ex Libro Bedæ: *Argumenta Lunæ* inscripto, & Tomo pag. 143. & seqq. impresso fragmenta quædam hunc Codicem claudunt. Codex Sæculi noni.

NOTA LXXXVI.

Kalendarium primo loco hìc positum ternos aut binos, aut denos nunquam vicenos de mense dies Sanctis inscriptos habet, præter Christi Domini, Deiparæ, & Apostolorum. Pridie idus Novembris Coloniæ S. Cuniberti Confessoris, unicus est ex S. Episcopis nostris. X. & XXI. Octobris nulla mentio Martyrum nostratium. V. Kal. Octobris, Natale SS. Cosmæ & Damiani. Coloniæ Dedicatio Ecclesiæ S. Petri Apostoli: Hac ipsa die ex Concilio Coloniensi à Williberto nostro Archi-Episcopo consecratam fuisse Basilicam Metropolitanam constat.

Cl. Heister post Suffraganeos Colon. hanc Synodum vulgavit 1641. interfuere Synodo Luitbertus Moguntinus & Bertolphus Trevirensis Archi-Episcopi, & horum trium Archi-Episcoporum Suffraganei. Quo die & Essendiensis Ecclesiæ ab Alfrido Hildenesheimensi Episcopo instituta Fundatio collaudata fuit. *Harduinus Tomo VI. Concil. pag. 138. Mörckens in Conatu Chronologico.* Conradus Hochstadenus, qui incendio absumptam restauravit Sæculo XIII. non mutavit diem Consecrationis, quæ nunc Dominicâ proximâ V. Kalend. Octobris celebratur.

NOTA LXXXVII. *Notata Historica ex Cod.* 102.

Dionysiani Cycli Decem-Novales cum impressis conveniunt, de quibus consulendi BUCHERIUS, PETAVIUS, & PAGIUS. In margine notantur ab anno DCCXXVI. varia historica non indigna annotatu. Quædam excerpo: Anno Christi DCCLXXVI. Conversio Saxonum, DCCLXXVIII. Karolus Rex Spaniam intrat, 779. Karolus in Saxoniam venit. Fames magna. 780. Saxonia capta. 780. Karolus Romam perrexit & Pippinus baptizatur. 783. Hildegundis Regina obiit. 786. Kar. Romam venit, deinde & Cruces apparuerunt in vestibus. 788. Karolus per Allemanniam ad fines Bavariæ. 790. Tassilo Dux venit in Franciam, & Bavaria capta est. 791. Kar. pergit Slavos, qui dicuntur Uuilta. 793. Karolus Rex Ungrorum regnum vastat. 801. Karolus à Romanis appellatur Augustus. 809. Transitus Sancti Luitgeri. 814. Kar. obit. 822. Fames valida. 840. Luodouichus obit. 841. Bellum inter tres Fratres. 842. Divisio Regni. 868. Nicolaus PP. obit. 869. Fames valida. 871. Ventus validus. 875. Hyems valida. 876. Obitus Luiduuuichi. 878. Karolus Valentiam ingreditur, & eandem terram Karlomannus per aliam viam intravit. Inde Karolus territus fugit, & in eodem itinere mortuus est. 879. Ludouuigus Rex Saxonum, adhuc Fratre suo Karlomanno vivente Bavariam ingreditur. 896. Arnolfus Cæsar efficitur, est audita miseria famis mortalitatis & Christiani hominis alterius carnem comedentis. 899. Ungeri Italiam ingressi multa mala fecerunt. Arnolfus improbus & Ludouuigus in Reges elevantur. Guindebolt Rex Filium Arnolfi occidit, 904.

Bel-

Bellum inter Chonradum & Albertum Fratres, in quo Chonradus cecidit; & Adelbertus capite plectitur. 908. Ungeri Saxoniam & Thuringiam vastant. 910. Geuohardus ab Ungaris occiditur. 911. Ludouuigus Filius Arnolfi obiit. Buchardus ..... occiditur, Chonradus Filius Chonradi in Regem elevatur. 912. Cometæ visi sunt. 913. Hatto Archiep. obiit, & Herigerus succedit. 919. Chonradus Rex obiit, & Henricus succedit. 935. Henricus Magnus obiit; & Otto succedit. 937. Henricus Frater Ottonis ab Everhardo capitur. 938. Gisalbertus & Everhardus occisi sunt. 939. Hyems valida, & mortalitas animalium. 941. Rumoldus obit. 947. Astrude capitur. 949. Henricus Dux Magnus obiit, & Luidolfo Alimannia committitur. 951. Otto Italiam ingressus eam sibi subvinxit. 953. Obit Wuilfridus Archiepiscopus, cui successit Bruno. 957. Luidolfus Regis Filius, subvinctâ sibi Italia, ibidem obit. 961. Otto Minor Rex effectus est. 965. Bruno Archiep. obit, cui successit Poppo. 967. Poppo Archiep. ✠ cui successit Heti. 968. Otto Imperium suscepit. 975. ✠ Gero Archiep. cui succedit Uuarinus. 978. Otto Exercitum ducit super Cartenses. 979. Reconciliatus est Imperator cum Occidentis Rege. 980. Natus est Imperatori Filius. 981. Apto est in Sedem receptus. Woreet in Gratiam Imperatoris. 982. Prælium commisit Imperator cum Sarracenis. 983. Obiit Imperator. Plerisque Urbibus Apuliæ....... & in Natali Aquis Filium ejus in Regem Puerulum à Coloniensi Arcchiepiscopo...... VV. commissa Heinricho, à quo ferè privatus est Regno, nî major pars populi intercessisset ejusdem Pueri favori. 985. Vuarinus Colon. Arch.

 defun-

defunctus est, cui Evergerus successit. 987. Rheni ac Mosellæ inundatio insolita. 988. Tanta intemperies æstatis fuit, ut ex aëris inclementia complures interirent. 992. Synodus Aquis facta est. Mota est Sententia de Remensi Episcopo ejecto, alióque subposito Romanis præsentibus Legatis. 993. Prodo Minmigardavardensis Episcopus defunctus est, cui Suintger successit. Eodem Ecbertus Trevirensis Archiepiscopus naturæ cessit, Luidolfus Trevirensis Episcopus est ordinatus. 994. Ingelinheim Synodus est habita, ac de duorum Episcoporum injuriâ examinatum. 995. Trajectensi Episcopo defuncto, Ansfridus Comes Laicus suscepto Clericatu successit. 996. Rex Romam pergens, Imperator effectus est: Brunone Nepote suo Papâ ordinato. 999. Bruno Papatu defunctus est. Eodem Evergerus Colon. Archiep. naturæ cessit. Fit Herebertus Archiepiscopus. 1001. Otto Imp. Româ expulsus. 1002. Obiît Otto Imp. cui succesit Heinricus. 1004. Heizel Comes receptus est. 1006. Heinricus Rex Exercitum duxit super Balduinnum. Frideric. Ep. data est per põratas. 1007. Lambertus Comes in Gratiam Regis Henrici redit, Lambertus suum Filium recepit. 1008. Luidolfus Trevir. Archiep. ✠ cui succesit Megingoz cuncto Clero & Mosellensi populo renuente, resistente Heinrico Regi. 1011. Vuillegisus Mogonensis Archiep. obiît, cui succesit Erchinboldus. 1015. Henricus Rex sine molestia Romam adgressus & Imperator effectus. 1020. Obiît Herebertus Archiep. cui successit Pilegrimus. 1024. Henricus obiît, cui succesit Conradus. 1027. Benono in Exilium missus.

Post Kalendarium his notis ditatum sequitur Venerabilis Bedæ

Liber

Liber *de Tempore*, primis duobus & dimidio Capite mutilatus. Et cætera Bedæ Opera ſupra enumerata, in quæ eruditas Commentationes varii ſcripsêre, quos inter memorandus JOANNES NOVIOMAGUS Gymnaſii Montani Profeſſor, & Libris ſcriptis nobilis in Republica Literaria, qui PETRO CANISIO Diſcipulo ſuo in Domino gloriari poteſt.

CODEX 146. alt. 11. lat. 8. Unc. Præter Miſſale Colonienſe jam quartâ Claſſe demonſtratum, habet Tabulam Epactarum & Lunationum, Kalendarium, in fine Litanias.

CODEX 143. alt. 10. lat. 7. Kalendarium.

CODEX 168. alt. 12. lat. 9. BOCACCIUS de Viris Illuſtribus & Mulieribus claris. Initium: *Diu ſtrenuè miles.* Finis: *Quod in nullius commodum laceratum dentibus depereat.* In fine legitur „ Hunc Librum emi pro pretio „ competente in Civitate Colonienſi ego Mauritius Co„ mes à Spiegelberg Canonicus Colonienſis Anno Dni „ M.CCCCLIV. ipſo die Pantaleonis. „ Videtur Liber Sæculi XV. aut XIV.

NOTA LXXXVIII.

JOANNES BOCCACIUS natus Certaldi in Tuſcia Anno 1313, ibidem mortuus eſt Anno 1375. obſcuro loco natus, quantum ingenio & Etruſci Sermonis pro ea ætate Elegantiâ eminuit,

nuit, tantum bonis moribus obfuit Decaëmero ſuo Hetruſcâ linguâ ſcripto. Inter ejus Opera extat *Liber de Claris Mulieribus* unus; Decem verò de *Caſibus Virorum & Fœminarum Illuſtrium*, Typis vulgati. *Fabritius in Biblioth. med. & infimæ latinitatis.* Lib. II.

CODEX 79. *a.* Frater ROGERIUS Vitam ſuam ſcribit. Sæculo XV. ſcripta videtur.

NOTA LXXXIX.

Quo referam hunc Rogerium, an ad unum ex quatuor Laudatis à VOSSIO inter Hiſtoricos Latinos, an alius ab his ſit, nondum habeo dicere?

CODEX 136. *b.* alt. 17. lat. 8½ Hiſtoria CAROLI MAGNI per varias Lectiones, in Officio Divino recitandas Antiphonas & Miſſam pro ejuſdem Glorificatione Deo O.M. inſcriptam.

In eodem Codice 136. *c.* Tractatus de Prærogativis Romani Imperii Anonymi, demùm de eodem *Argumento* Tractatus Magiſtri *Jordani*. Chartaceus Liber.

CODEX 169. alt. 11½ lat. 9½ De Geſtis & Translationibus Sanctorum Trium Regum, diviſus in Capita XLVI. Liber membranaceo-chartaceus.

NOTA

NOTA XC.

Liber hic extat impressus Coloniæ per *Joannem Guldenschaff de Moguncià* Anno à Nativitate Christi MCCCCLXXXVI. in *Bibliotheca Collegii Colon. S. J.* Autoris vel Collectoris nomen nusquam apparet, sed in impresso ante Caput primum extat hic Titulus = Reverendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino FLORENTIO DE WEVELKOVEN Divinâ Providentiâ Monasteriensis Ecclesiæ Episcopo Dignissimo = Florentius hic natus ex Dominis de Wevelinckoven (cujus Nominis Castrum nobile est intra Archi-Diœcesin Coloniensem, nunc ad Familiam Comitum de Bentheim translatum) ex Canonico & Decano Nostræ Metropolitanæ Basilicæ ab Urbano V. PP. Anno 1364. postridie Gregorii creatur Monasteriensis in Westphalia Episcopus, cui Sedi cùm annos quindecim magnâ laude & incremento Diœceseos præfuisset, Ecclesiæ Ultrajectensi Antistes datur, & Anno 1395. obiit, teste *Mersæo Cratepolio.* Hinc jam colligere licet, quo tempore hic Scriptor vixerit, nempe inter annos 1364 - 1379. quibus FLORENTIUS Præsul fuit Monasteriensis Ecclesiæ; cui Librum suum dedicavit. Hæc dum meditor, & partûs ignotum parentem undique investigo, occurrit Trithemius, qui JOANNEM HILDENESHEIMENSEM Saxonem, Professione Carmelitam, ostendit Autorem, & Scriptorem *de Trium Regum Corporibus Coloniam translatis*, & qui circa annum MCCCLXX. floruerit, igitur cùm Ætas Scriptoris & Titulus Libri conveniant cum FLORENTIO Episcopo, nulla dubii rima relinquitur. Superest, ut Judicium CROMBACHII Historiæ SS. Re-

gum edendæ & perficiendæ ſtudioſiſſimi de hoc Joanne referam ex *Tomo III. Hiſtoriæ SS. Trium Regum, Libri II. Cap. LVIII. pag. 691. de Teſtibus Sæculi quarti decimi.* „ Joannes Hildeſienſis „ circa An. 1360. floruit. Is Hiſtoriam SS. Regum comprehendit „ Libello, 46. Capitum. Sed tot inſpergit fabulas, ut ſuſpectam „ reddiderit omnem ſuam narrationem, cautéque legendus ſit; „ ideo nunquam auſus fui ejus fide niti, niſì res aliunde etiam „ robur haberet, & ab alio idoneo Autore, vel ratione ſolidâ poſ- „ ſet confirmari. In translatione, cùm vulgarem ſequatur Co- „ lonienſis Officii horarii narrationem, & cum de Miraculis eo- „ rum & peregrinationibus, quæ tunc, cum viveret, ad eorum „ ſacra fiebant lumina, & à Pontificibus approbantur, ſcribit, „ non videtur negligendus „ Ex hac maſcula criſi conſtat Crombachium non tam credulum fuiſſe, quàm Launoius aliíque eundem fingunt.

Anno 1516. Typis Quenteliis prodiit *Hiſtoria Glorioſiſſimorum Martyrum Trium Regum integra.* Teſte Crombachio Tom. III. Hiſtor. Reg. L. I. C. XXXIV. pag. 571.



CLAS-

CLASSIS SEXTA.

ASCETÆ, CONCIONATORES.

CODEX 138. *b*. Sermo in Evangelium de Lazaro.

CODEX 84. *c*. Sermo de Festivitate omnium Sanctorum.

CODEX 170. alt. 20. lat. 12. Diversi Sermones Dierum Dominicalium per Quadragesimam legendi. Scripti Anno MCCCC, ut in extremo Libro adnotatum leges.

CODEX 94. *b*. Sermo de Ascensione B. Mariæ.

CODEX 70. *b*. *c*. Sermo de Natali S. Augustini. Varii Sermones de Deipara.

CODEX 17. *b*. Sermo de Superbia, & Idolis.

CODEX 171. alt. 11. lat. 8½ SUB PIO PATRE HILDEBALDO SCRIPTUS: en characterem ætatis venerandæ in fronte Libri. Homeliæ excerptæ è diversis Patribus de Diebus Festis.

CODEX 19. *b*. Sermo de Apparitione S. Michaëlis Archangeli.

CODEX 172. alt. 11½ lat. 7½ Præcedit Index ſeu Capitula Lectionum = In Nomine Domini Jeſu Chriſti, in hoc Libro continentur Explanationes excarpſatæ Lectionum ſive Epiſtolarum Dominicis diebus ſeu Feſtivitatibus, nec non & Ferias à Vigilia de Nativitate Domini hora nona uſque in Aſcenſa Domini = id eſt: Pars prima. Sæculi x.

CODEX 173. Liber Scintillarum .... pro ſalute animæ Dilectiſſimo Filio WIEDONI. Habet Capita 27. Caput I. de Sapientia...... In fine: Orate pro MAGISTRO DE WACHTENDONCK Ss. Theologiæ Profeſſore Eximio. Liber Sæculi XVI.

CODEX 147. Idem Liber, ſed duobus aut tribus Sæculis antiquiore manu ſcriptus ....

Sequitur Libellus *de Origine animæ* vel ſitu ejus, atque ejuſdem natura ſeu exitu ipſius valde utilis ad legendum feliciter ... In fine: Explicit feliciter Libellus de Ratione animæ. Deo gratias. Amen.

CODEX 175. alt. 14. lat. 12. chartaceus. Homiliæ in Evangelia per annum, inchoatæ à Dominica proxima ante Septuageſimam: Ultima Homilia eſt in Natali SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi. In Veſtibulo Liber à quopiam Vicario ſcriptus & donatus dicitur anno 1437.

CO-

CODEX 176. alt. 11½ lat. 9. chartaceus. Sermones Sacri ex variis Patribus collecti à Magiſtro JOANNE DE SEGOBIA. Sed in alio loco attribuitur Collectio JOANNI DE COROLLA. Deſcribo initium = Omnes qui aliquod opus, quod volunt eſſe ſtabile, proponunt conſtruere. = In fine: Liber JOANNIS WEIDENFELDT Colonienſis. Orate pro eo. Hunc Librum ſcribi feci Baſileæ Concilio Generali, in octavo ejus anno ibidem perdurante 1438.


CODEX 177. chartaceus in quarto. Sermones Aſcetici Latini per Dominicas & Feſta habiti. Circa annos 1490. 1500. 1506.

CODEX 136. *d.* alt. 11. lat. 8½ pergamenus: Manuale Magiſtri PETRI CANCELLARII CARNATENSIS de Myſteriis Eccleſiæ.

Idem 136. *c.* de Officio Miſſæ collectum in Alma Univerſitate Studii Lipſienſis ſub Anno 1440. per æſtatem. Chartaceum fragmentum.

CODEX 178. chartaceus in 4to. Sermones Aſcetici in varia Scripturæ loca, ex quibus nonnulli ad Univerſitatem Colonienſem dicti fuêre.





CLASSIS SEPTIMA.

SCHOLASTICI.

CODEX 179. alt. 17. lat. 12. Unc. Quatuor Libri Sententiarum PETRI LOMBARDI Epiſcopi Pariſini. Sæculum XV. ſapit.

CODEX 180. alt. 15. lat. 9. Iidem Libri eodem Sæculo ſcripti.

CODEX 181. alt. 13½ lat. 9. Idem Autor, ſed Sæculo XIV. deſcriptus.

NOTA XCI.

Quanquam Scholaſticorum Princeps vulgò audiat PETRUS LOMBARDUS, ideſt, eorum Catholicorum Doctorum, qui Doctrinam in Verbo Divino ſcripto & tradito contentam in Ordinem Syſtematicum redegêre, is enim humano ingenio accommodatiſſimus eſt, tum ad eam Doctrinam docendam, tum ad diſcendam: nihilominus idem præſtantiſſimus Scriptor potiùs Patritiæ Theologiæ docendæ Dux & Magiſter mihi videtur: nam Dogmata Fidei Methodo Syntheticâ coordinata ſingula firmat & illuſtrat, non humano ratiocinio, ſed Sententiis Sanctorum Patrum veluti genuinis & optimis interpretationibus Verbi Divini.

Fuit

Fuit Petrus Novariæ in Lombardia natus; Episcopatum Parisinum adeptus fuit Anno Christi 1159. aut proximo, quo Philippus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ & Frater Ludovici VII. Regis Franciæ ob eminentiam Doctrinæ eidem cessit. Decessit fato communi Anno 1164. ad diem 20. Julii. In Sacræ Facultatis Theologicæ Coloniensis Cathedram admittitur nemo Baccalaureus, nisì antè assignatam ab Decano ex Petri Lombardi Libro Sententiam commentatus sit publico in consessu Academicorum.

CODEX 182. alt. 11. lat. 8½. *Manipulus Florum ex Sententiis Doctorum, compilatus à Magistro* THOMA DE HYBERNIA quondam Socio Domûs Magistrorum de Sorbona Parisiis; subjungitur primo, Index Virtutum & Vitiorum, de quibus Sententiæ referuntur. Secundò Index Librorum, ex quibus Sententiæ desumptæ fuêre. Finitus Liber Anno Dni 1347. 6. Februarii; ut in fine leges.

NOTA XCII.

THOMAM ex Hybernia oriundum, Parisiis Magisterium Scholasticæ Theologiæ, Suffragiis Doctorum suscepisse circa A. C. 1290. lego apud *BULÆUM in Sæculo V. Universitatis Parisiensis* pag. 712. Liber ejus collectus ex omnibus sanè Scriptoribus, qui Sacras Literas commentati sunt, variis Typis prodiît, Coloniensi Anni 1579. apud Ludovicum Alectorium. GESNERUS alias editiones recenset. Anno 1751. Viennæ in 8vo prodiît excusus Liber: *Hybernici Thomæ Flores.*

CO-

CODEX 183. alt. 16. lat. 12. Summa de Vitiis per Fratrem WILHELMUM Burgundum Ordinis Prædicatorum. Sæculi xv. character.

NOTA XCIII.

In Bibliotheca Scriptorum ex Ordine Prædicatorum ab Quetifio & Echardo adornata, hic Autor non reperitur.

CODEX 184. alt. 11½ lat. 9½ Libri tres de Inſtitutione Laicali JONÆ AURELIANENSIS Epiſcopi, Sæculo XII. ſcriptus videtur.

NOTA XCIV.

Jonas imperante CAROLO CALVO Opus hoc MATFREDO Aurelianenſi Comiti dedicavit circa 850. annum, plenum ſanâ & Catholicâ Doctrinâ, laudatum ab ACHERIO Monacho Benedictino, qui poſt Editionem Duacenam hujus Operis anno 1646. factam, denuo collatis variis Ms. Codicibus emendatiùs illud edidit, Tomo I. *Spicilegii, Editionis ſecundæ* Anno 1723. pag. 258. & ſeqq. Primus & ſecundus Liber continet inſtitutionem omnibus Fidelibus congruentem, tertius Conjugatis perutilem & opportunam ad conjugalem vitam Chriſtiano more ducendam.

CODEX 169. *b*. HENRICI DE LANGENSTEIN dicti DE HASSIA Epiſtola de Modeſtia Prælatis ſervanda, ſcripta ad Reverendum Dominum EVERHARDUM DE YPPELBORN Eccleſiæ Moguntinæ Decanum. Chartaceus Sæculi xv.

NOTA

NOTA XCV.

Henricus hic Magiſter in Theologia & Vice-Cancellarius Pariſienſis fuit, Sacerdos deinde & Canonicus Wormatienſis, demùm ab ALBERTO Duce Auſtriæ vocatus Theologiam docuit Viennæ ab Anno 1384. ad 1397, quo naturæ conceſſit. FABRITIUS *in Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis* poſt TRITHEMIUM, GESNERUM, PEZIUM, LAMBECIUM. Inter Opuſcula Henrici à Fabritio recenſita hoc non apparet. Everhardus de Yppelborn Canonicus Metropolitanæ Moguntinæ fit ejusdem Decanus Anno 1383, obiît 1418. in Septembri teſte *HELVVICHIO in Nobilitate Eccleſiæ Moguntinæ* Typis edita 1614.

CODEX 169. *c. Initium:* Reverendiſſimo in Chriſto „ Patri Fratri HUGONI Magiſtro Ord. Prædicat. Digniſ- „ ſimo ac Sacroſanctæ Paginæ Profeſſori, ejus ſubditus „ Frater ALPHONSUS BONI HOMINIS Hiſpanus, pro- „ miſſam obedientiam promptam in omnibus ſemper & „ devotam. *Finis:* Explicit Epiſtola RABBI SAMUEL, „ RABBI ISAAC, ut ſupra in Proëmio continetur, ſub An- „ no Domini, ſcilicet Nativitatis ejus Milleſimo ſecun- „ do, translata de Arabico in Latinum per Fratrem Al- „ phonſum boni hominis Hyſpanum Ordinis Prædica- „ torum ſub Anno Dni MCCCXXX. Domini Benedicti XII. „ Anno quinto.

NOTA XCVI.

Alphonſus Anno 1339. Pariſiis degebat, *Studens* Honoris pro

Provincia Hispaniæ. Edita hæc Epistola Coloniæ apud Lyskirchen in 4to, Typo Gothico, iterum 1536. in 8vo apud Gymnicum *Quietif & Echard. Bibliotheca Prædicat.*

CODEX 79. *c*. Dissertatio PETRI ALPHONSI contra MOSEN JUDÆUM.

NOTA XCVII.

Claruit hic Scriptor Sæculo XI. exeunte, quo Alphonsus VI. Hispanorum Monarchiam tenebat. Ab hoc enim Rege hic Scriptor olim Judæus ad Christianorum Sacra traductus Alphonsi cognomen, honoris & gratitudinis ergo tulit. Coloniæ editus fuit primum *Typo Gymnici.* Deinde *in Bibliotheca PP. Coloniensi* Anno 1618. Tomi XII. parte Ima.

CODEX 83. *a*. alt. 9. lat. 8. BOETHII Arithmetica. Sæculi noni.

CODEX 185. *a*. alt. 10. lat. 8. Idem Liber cum figuris delineatis. Sæculi x.

CODEX 186. alt. 10½ lat. 8. Idem Sæculi ix. Liber.

CODEX 187. alt. 17. lat. 12. BOETII Musicæ Libri II. Ejusdem Commentarius in Porphyrium. Venerandæ canitiei Liber, literis quadratis minusculis, Græca sinè accentu supraposito, literis quadratis. Sæculum VII. refert.

CODEX

CODEX 188. alt. 12½ lat. 10. Incipit : Secundus hic arreptæ expoſitionis labor in Porphyrium à BOETHIO. Sæculi x.

CODEX 189. alt. 9½ lat. 8. BOETHIUS in Iſagogen Porphyrii & Librum Ariſtotelis de Interpretatione. Lib. Sæculi x.

CODEX 190. Fragmentum BOETHII Dialecticorum de Categoriis & Syllogiſmis.

NOTA XCVIII.

ANICIUS MANLIUS SEVERINUS BOETHIUS ſub Theodorico Italiæ Rege conſulatum ſolus geſſit Anno DX. cujus poſtea juſſu cum SYMMACHO Socero VC. in carcerem conjectus, Ticini glorioſa morte occubuit die 23. Octobris, Anno Chriſti DXXIV. *LABBE Diſſert. Hiſtorica de Scriptor. Eccleſiaſt.*

CODEX 191. alt. 12. lat. 10. PORPHYRIUS de quinque Prædicamentis latinè. Liber Sæculi x. Scripturam refert.

CODEX 192. alt. 10. lat. 6½ CALCIDII Commentum in Platonem. Character Sæculum x. non recuſat.

CODEX 185. *b*. Somnium Scipionis ex Marco Tullio.

CODEX 185. *e*. Collatio inter Libros Platonis & Ciceronis de Republica.

CODEX 185. *d.* Astronomica quædam incerti Autoris.

CODEX 193. alt. 10½ lat. 8. MARTIANI MINEI FELICIS CAPELLÆ Libri duo de Nuptiis Philologiæ & Mercurii; ejusdem Libri VII. de Artibus Liberalibus, Glossæ interjectæ, Græcæ voces quadratæ & sine accentibus. Liber Sæculo IX. dignus.

CODEX 194. alt. 9. lat. 7. Idem antecedenti Exemplar, sed infeliciore charactere deforme. Ad Sæculum XI. pertinere credo.

NOTA XCIX.

Scriptor Madaurensis Afer Romæ circa 470. versabatur. Præclaram editionem hujus Libri adornavit GROTIUS V. C. Anno 1609. ex Officina Elzeviriana; sed adhuc bene multa menda superesse GRONOVIUS queritur. *FABRITIUS* L. III. *Biblioth. Latinæ* c. 15. & in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, verbo: Capella.

CODEX 195. alt. 9½ lat. 6½ Abbreviationes & Declarationes in Libros Physicorum & Metaphysicorum Aristotelis. Sæculi XVI.



CLASSIS

CLASSIS OCTAVA.

RHETORES, GRAMMATICI.

CODEX 196. alt. 9. lat. 7. Uncias. Incipit Libellus *Proræ*, ſecundus Libellus vocatur *Puppis* ad ALBOLDUM Epiſcopum A...E. Servorum Dei humillimus Presbyter. Poſt Præfationem duo libelli Carmine Hexametro ſcripti varii Argumenti ſacri, & profani, veri & fabuloſi. Sæculi XIII.

CODEX 167. *b.* Ars Rhetorica. Liber in fine mutilus. VICTORINI Commentarius in Ciceronis Rhetorica.

CODEX 197. CICERONIS Rhetorica mutila in fine. Sæculi XVI. ſcriptura.

CODEX 198. alt. 11. lat. 6½ Commentarii *in ſex Libros Topicorum* CICERONIS, inſcripti PATRITIO Rhetorum Digniſſimo. Item *Philippicæ Ciceronis*, quæ videntur manu antiquiore ſcriptæ, Sæculi undecimi, at commentarius Sæculo XIII.

CODEX 199. Commentarius in Juvenalem, Lucanum, Macrobium. Sæculi XV. character.

CODEX 200. PRISCIANI Grammatici Cæſareenſis Libri XV, minuto, ſed eleganti quadrato charactere ſcripti, qualem Sæculo VIII. attribuas. In fine legis: Flavius Lucius Theodorus V. D. Memorialis Sacri Scrinii Epiſtolarum hunc librum manu ſuâ deſcripſit. In fronte libri habes: Liber MAURITII COMITIS DE SPIEGELBERG, Præpoſiti Embricenſis.

NOTA C.

Priſcianus Caſſiodoro coævus Sæculo ſexto Chriſtiano Conſtantinopoli ingenuas artes docebat: inter Libros permultos à PUTSCHIO, GESNERO, FABRITIO enumeratos ſcripſit Commentariorum Grammaticæ Latinæ Libros XVIII. Quantâ autem Veneratione hos Libros ſuſceperit antiquitas, ex ſubjecta Libro ſubſcriptione Theodori conjicere licet, cui ſimilem refert *Baluzius Tomo II. Capitularium. pag. 1161.* F. C. Theodoſius V. D. Memorialis Sacri Scrinii Epiſtolarum, & Adjutor Quæſtoris Sacri Palatii ſcripſi manu meâ artem Priſciani Viri Diſertiſſimi, Grammatici, Doctoris mei in Urbe Roma Conſtantinopoli, die V. Kal. Martias. Mavortio V. C. Conſule Hanc ex *Bibliothecæ Colbertinæ* Ms. protulit Baluzius.

Similem ex Codice Ms. Joannææ Bibliothecæ Hamburgi profert Fabritius *Bibliothecæ Latinæ Edition. 4tæ* Anni 1712. pag. 783. 784. Editus fuit Coloniæ Priſcianus in folio Anno 1528.

CODEX 201. altus 9½ latus 7. Idem Autor deſcriptus Sæculo XV.

CO-

CODEX 202. alt. 13. lat. 11½ Ejuſdem Priſciani Grammaticæ Libri VIII. mutili in principio & fine. Codex Sæculi x. literæ græcæ quadratæ & citra accentus.

CODEX 203. Commentarius in Grammaticam Prisciani, mutilus in principio. Scriptus Sæculo xiv.

CODEX 57. *b.* Fragmentum habet parte ſui extrema, de Metaplaſmo, aliíſve figuris Grammaticæ. Sæculo xii. fortè exarata.

CODEX 204. alt. 10. lat. 7½ Ars Grammatica incerti Autoris. Sæculum x. vel xi. manus attingit.

CODEX 19. *b.* Explanatio Latina quorundam Verborum.

CODEX 205. chartaceus. alt. 11. lat. 8. Dictionarium pauperum Clericorum, quo verba difficiliora Scripturæ, Etymologia, Grammatica explicatur. De Interpretatione, Orthographia, Accentibus varia adſperguntur.

CODEX 206. chartaceus. alt. 12. lat. 9½ Mammotrectus cum duplici Prologo. In hoc Libro voces græcæ & latinæ Sacris Biblicis contentæ, Tironibus explicantur.

CODEX 207. Orationes quodlibeticæ in Facultate

Artium

Artium Coloniæ habitæ. Prima Anno 1483, quæ fuit JACOBI DE Stralen Vicecancellarii pro Salentino Isenburgico, ut in fine lego. Chartaceus est & ætatem indicat.

CODEX 208. Variæ Orationes habitæ in Promotionibus Universitatis Coloniensis. Liber Magistri nostri Henrici de Horse.

Finis Indicis & Notarum ad Bibliothecam Metropolitanam, quæ superstes est Anno 1752. 26. Maji.

A. M. D. O. M. G.



INDEX ALPHABETICUS.

AUTORUM, & TITULORUM,

quando Autor Codicis latet.



Bserva Lector, *Librorum ordinem in hoc Catalogo institutum à materia Libris contenta desumptum fuisse: Materiam in Classes octo partiti sumus*, 1. *Biblia*, 2. *Patres*, 3. *Jus Ecclesiasticum*, 4. *Scriptores de Sacrificio, Sacramentis, & Officiis Ecclesiasticorum, quos Liturgicos appello.* 5. *Historicos*, 6. *Asceticos*, 7. *Scholasticos*: 8. *Philosophos, Rhetores, Grammaticos.*

At, quum Bibliopegorum incuriâ eodem Codice nonnunquam materiæ ad diversas ex his octo Classibus pertinentes compactæ reperiantur; necessum fuit ejusdem Libri numeralem notam in plures subdividere, puta numerum 88, *in* 88. *a*, 88. *b*, 88 *c*, *ut suam cujusvis Codicis materia ad Classem referatur: rursum, quia* 88. *b*, *&* 88. *c. collocatæ sunt extra numerum generalem omnium Codicum, quem in hoc Indice sequemur, ab* Imo *ad* CCVIII. (*reapse* CCIX. *quia Codices duo eodem numero* 78. *signati aciem correctoris effugerunt*) *hinc ejusmodi Argumenti Libris reperiundis numerum paginæ adjiciemus. Vale.*

SS. APO-

S. ISI-

Com-

Synodi

Finis Indicis.

A. M. D. G.

Errat. pag. 8. Præf. lin. ult. *plures* leg. *plura.*

